325

C

280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

KW 10.
325 C 280

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
COMMISSIS IN GENERE.

QUAM,
Adſpirante Divino Numine
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris
D. JOHANNIS SCHOTANI,
Phil. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Clariſſimi,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summiſque in utroque jure Honoribus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis,
Publicè ventilationi committit
NICOLAUS MINDEMAN,
Bremâ - Saxo.
Ad diem XVI. Octobr. in Templo Academ.



FRANEQUERÆ,
Apud JOHANNEM GYZELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

DEO,

PATRIÆ,

FAUTORIBUS,

ATQUE

AMICIS.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

DISPUTATIO
INAUGURALIS,
DE
COMMISSIS.

PRÆFATIO.

INter arma ſilent Leges! exclamabat olim Latinæ Eloquentiæ fons Cicero, magis, ut videtur ſtudio partium, & cauſæ, cui patrocinabatur, favore, quàm rei veritate commotus. Nam, & Rempubl. non ſolum armis decoratam, ſed & LL. oportere eſſe armatam, Divus Juſtinianus præſcripſit, & ipſa arma ſuâ non carere juſtitiâ ὁ μέγας Grotius, in famoſiſſimo de Jure Belli tractatu, abunde demonſtravit. Imò conſtat, ipſos Romanos pietate magis & juſtitia Orbis Imperium quæſiviſſe, armis verò tantum non fuiſſe inferiores. Quod ſi enim militari vitæ ſuam detrahas diſciplinam, nihil habebis, quàm belluino more furentem plebeculam. Unde eſt quod tam parum ſtabilis fuerit Alexandri Macedonis felicitas (decem n. plus minus annorum ſpatio, captus Orbis & amiſſus fuit) Nam, ut hoc Livii verbis efferam: Populus Romanus multis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

quidem prœliis, at nullo bello victus, Alexandri verò M. nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuit. Abſit tamen ut armis ſuum detraham decus; miles enim ad arma factus, corporiſque exercitiis probè duratus atque ſubactus, egregium eſt Reipubl. inſtrumentum ad ſubitos caſus, propulſandaſque injurias. At hoc ſaltem contendo, felicem eſſe Remp. non quæ haſtà & gladio terminatur, ſed quæ Juſtitiam pro finibus habet. *Vid Grot. in Proleg.* §. 24. *& ſeqq.* Quod quidem ex benè inſtitutarum Rerumpl. initiis earumque felicibus progreſſibus demonſtrari facile poſſet, niſi illud præfationis ambitum excederet; Certè quàm ſolliciti ſint boni Legiſlatores non ſolum in pace luxuriantem ſed & præcipuè bellorum malis concuſſam Rempubl. ſuſtinere, ne in ſe ipſam ruat, Juriſprudentia noſtra Romana, fons ille juſtitiæ & æquitatis purus, limpidus, ac amœniſſimus ſuo exemplo probat, ubi in plurimis Legum capitulis tam de armis & militari vita, quàm de ſtatu & juribus per vim certantium egregiè diſponitur, quæ omnia heic congerere nimis longum foret.

Imprimis ſaluberrima eſt illa juris noſtri Conſtitutio, quâ cavetur ſub pœna commiſſi, confiſcationis bonorum aut aliquando etiam capitali, merces illicitas ad hoſtem transferre *Vid. Tit. C. Quæ res export. non deb. junct. l.* 11. §. 2. *ff. de Public. & Vetig.* Quas Germanicè Wahren von Contraband. vocamus *Add. Tit. C. quæ res venire non poſſ. & qui vend. autem. vet.* Nam cum in hoſtem quidvis Lege belli liceat *Grot. lib.* III. *cap.* 4. idemque jure gentium externo pro nullo habeatur. Id. *lib.* 3. C. 10. *Th.* 1. quidni ipſum ab illa omnibus hominibus aliàs competente commerciorum libertate excludere liceret, & cur non, in Legem hanc peccantes vel ſubditos vel alios quoſcunque, lucri fortè cupiditate allectos, pœnâ, etiam ſeveriori animadverti poſſit, non video quid obſtet? In hoſtium enim eſt partibus qui hoſti ad bellum neceſſaria adminiſtrat.

De quo quidem themate, cum haud ita dudum Academiæ valedicturus, Diſputationem conſcribere decreveram; nunc mutato conſilio, cum & ratio rei familiaris & aliæ circumſtantiæ, ſummos in Juriſprudentia honores ambiendi ſtudium ſuadeant, & ſi dicta materia parum ſterilior tamen præſenti Martio tempori maximè convenire videbatur.

Igitur ut ad juſtam Diſputationis Inauguralis formam aſſurgeret, ampliavi eandem ac quod de ſolis mercibus Contrabandæ diſſerere decre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

decrevam, ad Commiſſa in genere extendi. In quibus omnibus ſi quà lapſus fuerim, humanum B. L. exſpecto judicium, & ætati ac feſtinationi ignoſci peto. Feci quantum licuit, tu B. L. pariter fac, non quod libet, ſed quod licet, aut potius quod decet; latius enim patet Officiorum quàm liciti regula, nec Tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit occurrat.

Qua ſpe fretus, ſimul ac Divino auxilio ſubnixus progredior ad

CAP. I.

De Significatione, Definitione & Diviſione Commiſſorum.

I. Cum de verbis in omni tractatu prima ſit inſpectio, quippe quæ notæ cenſentur & quaſi Domicilia rerum, *l.7.§.2.ff.de Suppell. Leg.* rei vim aperiunt, nec mediocriter illuſtrant *L.2.§. ibique DD. ff. d.R.C.* de Commiſſis tractaturus, idem more Ulpian. in *L.1. ff. de J. & J.* & Pauli in *L.1. de Acq. Poſſ.* faciendum cenſui, maximè cum ſcire quid nomen ſit, principium ſoleat eſſe Doctrinæ teſte *Ariſt. 4. Phyſic.*

II. Varias autem τὸ Committere (unde, ut facilè patet, commiſſi vox deſcendit) recipit ſignificationes, & quidem ſimplici ac primævo ſenſu eſt, duo, pluresve in unum mittere, quo ſenſu Committere prœlium, certamen, ludos, ſpectacula, & committere ſimpliciter, uſurpatur ab Ulpiano in *L. 1. §. 11. ff. Si quadrup. paup. fec. dic.* ubi cum *arietes vel boves commiſiſſent* i. e. dimicaſſent, quia in pugna plures in unum quaſi, mittuntur, id quod græci vocant, συμβάλλειν & Commiſſiones συμβολὰς, in quibus etſi animalia uti Juris, ita & injuriæ omnino ſint incapacia, tamen ſecundum rationem Juris noſtri, diſtinguitur, utrum animal prius provocaverit, ſine dubio ex illa Veterum ſententia, quam probat Plutarchus in libro ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι Irrationalia ratione uti. *Vid. d. L. 1. §. 11.*

Huic ſignificationi etymologicè proxima eſt ea, quâ committere denotat alteri quid curandum ſervandumque tradere, ſatis noto ſenſu; ita *Terent. in Andr. act. III. ſcen. v. ſervone fortunas meas commiſiſſe futili?* & committere alicui filiam. Id in *Heaut. Act. 4. ſcen. III.*

 cinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

einem Sein Kind anvertrauen/ ſic etiam in *l.* 31. *de Recept. arbitr.* dcitur committere alicui cauſam ſuam, negotia *l.* 23. *de Minor.* committere cuſtodiam *l.* 14. *de Cuſtod. & Exlib. reor.* & paſſim. Ratio locutionis hæc mihi videtur; quòd res & perſona quaſi in unum mittuntur & conjunguntur. Huc pertinet celebris Fideicommiſſi ſignificatio, per quod hereditas vel legatum fidei alterius committitur, cujus etymologica derivatio optima traditur in *pr. I. de Fideic. Hered.* Similiter *Juven. Satyr.* 10.

Hæc tu ſecreta & paucis commiſſa putabas.

III. Tertia vocis ſignificatio eſt in ſeqq. formulis: Committere Crimen, ſcelus ſtuprum, adulterium, *l.* 5. *ad L. Jul. de Adult. l.* 9. §. 3. *l.* 37. *de Minor.* Committere damnum *l.* 15. §. *ult. Damn. inf.* culpam, imperitiam *l.* 6. §. 7. *de Offic. Præſ.* Ratio hujus ſignificationis ab eodem principio fluxiſſe videtur, quod homo & delictum conjungantur & maleficium aliquis ſuum faciat unde re committi aut perpetrari dicuntur maleficia in *Pr. Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc.* quemadmodum & ita nomine delicti admiſſum venit in l. 8. *Præſcript. Verb.* & admittere crimen haud diſſimili ſenſu dicitur, quod delinquens maleficii culpam in animam ſuam admittat, & ſimul pœnam committat, quâ ratione dedicta contrahi dicuntur in *l.* 1. *ff. de LL.* Imò συναλλάγματα ἀκούσια vocantur à Philoſopho *lib.* 5. *ad Nicom.* & male Contractus in *l.* 52. *de Re Iud. junct. l.* 20. *ff. Iudic.* nam, cum lex ſit communis Civitatis ſponſio, in Legis autem transgreſſione formale delicti ſit poſitum, qui conſenſit vel ſpoſpondit in Legiſlatoriam poteſtatem, cujus eſt providere, ne aut Respubl. aut privatorum ſalus quicquam detrimenti capiat. tacitè etiam contraxiſſe videtur, ut ſi quid contrà nitatur, pœnam à Lege ejusmodi incivili facto impoſitam, lubens ſubeat. Atque in hunc finem duplex ordinatur obligatio delictis annexa, prior ſarciendi damni, poſterior ſubeundæ coërcitionis ſeu pœnæ, ut delictum vel idem vel aliud quodvis in eodem, aut alio quovis ſubjecto præcaveatur. Vid. *l.* 20. *junct. l.* 41. *de Pœn.*

IV. Hinc quarta fluit ſignificatio, quâ quis dicitur Committere contra Legem *l.* 37. §. *ult. de Min.* in Legem *l.* 39. *ad L. Jul. de Adult.* in pœnam *l.* 23. §. 1. *de Recept. Arbr.* Etiam ſine præpoſitione committere pœnam Edicti *l. ult. ff. Quod quiſque Iur. in alt.* ubi committere abſolutè capitur pro peccare, eodem ferè ſenſu

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

qui th. præced. traditus eſt; quò pertinet etiam quod Impp. Severus & Antoninus Aſclepiadi reſcribunt, *ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti*; *in l.* 34. *de Jure Fiſci.*

Nec tantum in Criminali materia, ſed & in Contractibus ſic loquimur; veluti committere L. Venditionis *l. ult. ff. de Leg. Com.* pœnam Compromiſſi *l.* 37. *de Recept.* In Pro Socio Actionem *l.* 65. §. 5. *Pro Socio* ſic committi dicitur ſtipulatio in *l.* 29. *de Neg. Geſt. l.* 27. §. 7. *de Procur. l.* 63. *de V. O.* & paſſim in *Tit. C. de Contr. & Committ. Stip.* Etiam in Ultimis voluntatibus; ita committere adverſus Teſtamentum dicitur in *l.* 8. §. 2. *de Liber. Leg.*

V. Si quàm latè patet, committendi ſignificatio, tractatus hic eſſet inſtituendus, magna pars Juris huc converri poſſet, ſed habenda eſt ratio inſtituti & moris Academici. Igitur ne aut variis ſuis objectis fluctuet, aut mole ſuâ, Lectori moleſta ſit præſens diſſertatio, Uſum *Commiſſorum* ſingularem & quaſi per Excellentiam duplicem conſtituo; 1. cum ob admiſſum quidpiam, excidente Domino, res alteri acquiritur Jure Proprietatis; ſic Merces ob defraudatum vectigal quod Græcis dicitur κλεϖλοπλάνημα cadunt in commiſſum, & deſinunt eorum eſſe, qui per dolum eas non ſunt profeſſi *l.* 11. *l.* 14. *l.* 24. *& paſſim ff. de Public. & Vectig. Connan. lib.* IV. *Comm. c.* 18. *n.* 8. ſimiliter & merces quarum venditio Lege erat prohibita *l.* 1. *C. de Commerc. L. Si quis C. de Vectigal.* Sic Emphyteuſis dicitur committi, quando ceſſatur in ſolutione Canonis *l.* 2. *C. de Jure Emphyt.* quo ſenſu & feuda committi dici poſſent, quando ob commiſſam feloniam Jure ſuo excidit Vaſallus. (2.) Cum in Contractibus alter contrahentium agit contra fidem datam, & ita impletâ Lege vel conditione pactâ, Jus agendi vel exigendi naſcitur. Et generaliter quot. aliquis id committit, propter quod Legi, quam pactus eſt, locus eſſe incipit, toties tam Contractus quàm res ipſa, cui perdendæ, lege vel pacto obſtrictus erat, committi dicitur. Exempla eorum th. præced. ſunt tradita, & in omnibus Contractibus proſtant.

VI. Hiſce igitur inter ſe collatis, cogitavi, num Commiſſi Definitio Juridica dari poſſet, quæ materiam contextæ diſſertationis ſuppeditaret. Quamvis autem neminem heic mihi præeuntem videre datum ſit, tentabo tamen quid hac de re confici poſſit. Definitionem E. Commiſſi talem pono, quòd ſit: *factum contra præſcriptum, Juris alicujus inferens amiſſionem*; quæ quidem etſi convenire etiam videatur delicto, ac proinde contra præcepta Logices

Definitio

poſſit

poſſit dici concepta, in eo quod ſit generalior ſuo definito, notum tamen, illud quoque aliis in Jure traditis definitionibus ac diviſionibus, ſæpiſſimè evenire, maximè cum omnis in Jure definitio ſit periculoſa *l.* 202. *de R.J.* ſic qui civilem habet poſſeſſionem, habet etiam naturalem, qui habet plenum Dominium habet etiam minus plenum ſeu nudum qui uſumfructum habet, habet etiam uſum, *nam fructui uſus ineſt & fructus ſine uſu eſſe non poteſt l.* 14. *de Uſu & Habit.* Similiter & omne delictum poſſet dici Commiſſum, ſed minus recta erit oppoſitio, ſi omne Commiſſum delictum vocare velis; Quippe quod ſub vocabulo commiſſi ſimpliciter poſito, rarò comprehenditur. Certè qui ob omiſſionem ſoluti Canonis, Emphyteuſi privatur, reatum non commiſit, niſi doloſa fidei datæ violatio vel ſimilis defrudatio interceſſerit. Leges enim quando Civilibus negotiis certam formam præſcribunt, nihil aliud intendunt, quàm quod iis non obſervatis actus ſit nullus *Struv. Synt. Iur. Ex.* 2. *th.* 15. Facit huc quod *Hobb. dicit de Cive c.* 14. *n.* 23. ubi: qui agit quod lex ſimpliciter prohibet, peccat, quod ſub conditione ſeu tacita ſeu expreſsâ, non peccat, quia facere non eſt vetitum implenti conditionem, quæ hic eſt amiſſio rei, vel annullatio actus. Exemplo ſit præter alleg. *l.* 12. *l.* 21. *C. de Teſtam. l.* 4. *& t. t. C. de Præd. Min. Add. Vinn. Quæſt. Sel. lib.* 1. *c.* 1.

VII. Genus in hac definitione poſui *factum*, quod probatur è locis antea productis, in quibus omnibus factum vertitur. Idem ſuggerit hanc Obſervationem, quod uti Cogitationis pœnam, in delictis nemo patitur *L. Cogitationis* 18. *ff. de Pœn.* Sed aſſumto actu crimina intelligunt *l.* 225. *de V. S.* Conf. *Magnif. Dominus Strijk in tr. de Jure Senſ. Diſſ.* x. ita & in Commiſſis nec cogitationes nec Conatus veniunt, uti illud infrà, ubi de ſpecialibus Commiſſionum Juribus agetur, plenius tractabitur. Ultima verba differentiam conſtituunt & removent propriè ſignificationem delicti latioremque aliorum tractatum, quia per delicta quà talia, non amittitur aliquod Jus (etſi hoc per conſequentiam evenire poſſit) ſed pœna incurritur, & adjungitur delinquenti.

Præſcriptum tamen, cujus etiam in definitione mentio facta, non unum intelligo, ſed triplex potiſſimum *Legem*, *Teſtamentum & Contractum* quorum prius & poſterius præcipuam hujus loci materiam præſtat, quia in Teſtamentis rarior Commiſſorum Uſus. Igitur quandoquidem ut bene cenſet *Accurſ. in Præm. Inſt.* §.

Igitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Igitur. partitio legentis animum incitat, mentem intelligentis præparat, & memoriam artificioſè reformat, imò ſecundùm Cic. multum facit ad aperiendam materiam & controverſias conſtituendas, & Ego, Commiſſorum Jura bifariam, ut dictumeſt, conſiderabo, quatenus ſc. illa oriuntur vel à Lege, vel à Conventione Partium.

CAP. II.

De Commiſſis reſpectu Legis in Genere & in ſpecie de Uſu Clauſulæ Commiſſoriæ in LL. Fundamentalibus.

LEgem hic accipio, prout illam ex Demoſthene deſcribit Marcianus in *l. 2. ff. de LL.* Formam ferendæ Legis veterem exponunt DD. *ad G. §. 4. I. de I. N. & Civ.* & à primis temporibus hiſtoriâ petita *Samuel Petitus lib. 2. Comm. in LL. Attic. tit. 1. p. 106. & ſeq.* recentiorem *DD. ad l. 8. C. de LL.* Virtutes ejus recenſet Modeſtinus in *l. 7. ff. de LL.* Sed & id quoque pertinet ac Legis Virtutem, quod contineat tacitam hanc Clauſulam Commiſſoriam, ut, ſi quid contra Legem factum ſit, intelligatur ipſo Jure nullum p. *l. 5. C. de LL.* cujus quidem conſtitutio maximè cum ipſo Jure Naturæ convenire videtur, ubi illud tantùm Jus eſt, quod Lege non prohibente fit, nec Legitima illa aut naturalis aut moralis facultas dici poteſt, quam Legis Prohibitio tollit, niſi alia ſummi Legiſlatoris voluntas appareat, ut ſi pœnam aliam vel remedium quo actus ex poſt facto reſcindatur Lex ipſa ſtatuat; tum enim, ut Grot. loquitur de *I. B. & P. l. 2. c. 5. §. 16.* diverſa ſunt prohibere & irritum quid facere, addito exemplo Legis Cinciæ, quæ ſupra certum modum donare vetabat, donatum non reſcindebat. Similiter quando mulier prohibetur intra annum luctus nubere, nubens facit contra Legem, nec tamen propterea matrimonium invalidatur, ſed mulier fit infamis aliaſque pœnas patitur ex *l. 1. C. de Secund. Nupt. Add. Ioh. Faber ad L. Non Dubium 5. C. de LL.* Sed vix eſt ut hæc limitatio in Jure Naturæ terminos habiles inveniat, major ejus uſus eſt in LL. Civilibus quas imperfectas vocat *Ulp. in fragm. Tit. de LL.* Et hæ quidem duplicis potiſſimum ſunt generis (1) quum Lex ſanctione caret i. e. eâ parte quâ pœnam ſtatuit in transgreſſores *§. 10. I. de R. D. L. 41. ff. de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Pœn. & tum quamquam transgreſſio Legis inanis videri poſſit, ob omiſſam in Lege pœnam, tamen ex ratione *d. l.* 5. quicquid contra ejuſmodi Legem factum, ipſo Jure nullum habetur *Sand. lib.* 2. *Tit.* 1. *Def.* 6. (2) Dantur Leges prohibitivæ, quæ pœnam quidem irrogant ei, qui contra facit, ſed factum non reſcindunt, quas minus quàm imperfectas vocat *Ulp. in d. tit. n.* 2. In his non obtinet generalis conſtitutio *d. l.* 5. ut annulletur id quod contra factum eſt, quia illa ceſſat ubi ſpecialis pœna imponitur *l.* 41. *ff. de Pœn.* Sed recepta eſt hic diſtinctio Bartoli: Aut annullatio actus poteſt cum pœnâ expreſsè concurrere, & tum actus eſt nullus & ſimul pœna locum habet. Exemplum ejus eſt in *l.* 4. *C. d. Secund. Nupt.* Sed hoc intelligendum, ſi annullatio tendat in præjudicium ejus qui contra Legem fecit *d. l.* 4. *& l.* 14. §. 1. *C. de SS. Eccleſ.* Secus ſi tendat in præjudicium ejus qui non peccavit, quo caſu meritò ceſſat annullatio *l.* 14. *inf. ff. ad l. Corn. de Falſ.* Quod ſi autem nullitas ſimul cum pœnâ conſiſtere nequeat, tum actus ſubſiſtit ut pœnæ poſſit eſſe locus *Vid. Ampl. Huber in Prælect. ad ff. Tit. de LL. n.* 11. Ubi exemplum ponit in muliere temerè à marito divertente, cui, niſi redeat, mulcta injungitur: Res ipſa loquitur hac pœnâ non reſcindi matrimonium.

II. Hactenus de Uſu Clauſulæ Commiſſoriæ, quæ Legibus ineſſe cenſetur in Ordine ad ſubditos. Habet illa etiam locum in delatione Regni, quando Conditionibus Principi injunctis ſive Legibus Fundamentalibus, adjicitur hoc Pactum, ut ſi Rex vel Princeps non ſervet conditiones appoſitas, Cives ei non teneantur. Cujus quidem tractationem dum aggredior, non levis trepidatio animum ſubit, nec id ſine cauſa, quandoquidem illa majorem curam Judicium & diligentiam requirit, quàm à Juvenili Ingenio ſperari poterit, nec agitur hîc de tritico, vino, oleo glande legata, ſed de Juribus Majeſtatis ac Reipubl. in quibus peccari non poteſt, quin ſimul ſacratiſſima illa Jura pervertantur & lædantur. Igitur ne & Ego incidam in illud periculum, cavebo, ne aut ſine ratione aut autoritate loquar. Et ſpeciatim quidem quid ſit Summa Poteſtas, & cui competat, quouſque illa per Pacta ſalvâ ſuâ Majeſtate minui poſſit, & demum quænam obligatio ex illis Pactis oriatur, paucis tractabo. Quibus præmiſſis facile patebit quem uſum habeat in Legibus Fundamentalibus dicta *Clauſula Commiſſoria.*

III. Facilius omni tempore creditum, ſed rarius dictum eſt inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

inter homines: ſummam poteſtatem competere ei, qui fortior eſt; ita jactabat Brennus: Inter Leges Naturæ ſolidiſſimam eſſe ut imbecillior pareat fortiori *Liv. lib.* 5. *c.* 36. quod ſi verum eſſet, brutis non hominibus Regimen competeret, quippe quæ homines robore longè antecedunt; & mutaretur ſingulis momentis ſumma Poteſtas, quandoquidem Robur illud non perpetuum ſed momentaneum eſt. Rectius *Plin. in Panegyr. Non uti inter Pecudes, ſic inter homines, Vis & Lex Naturæ Imperium valentioribus tribuit.* Totum autem hoc, non à prævalentia Corporis, ſed ab æquâ bonaque mente, peritiâ negotii & Juſtitiæ adminiſtratione dependet. Summa E. Poteſtas nulli competit Jure Naturali, niſi Univerſo generi humano conjunctim ſumto in ſingula ſua membra, & per Conſequens, quando totum illud diviſum eſt in Civitates certas, eadem erit ratio Partis reſpectu membrorum, quæ antea fuit totius. Rationem hujus exinde peto; quia ipſa natura potentias agendi & facultatem de Rebus omnibus diſponendi, indidit ſoli homini, nulli autem aliæ Creaturæ. Et hanc quidem poteſtatem omnibus hominibus ſimul competere dixi; nec enim uni aut pluribus præ aliis convenire poteſt, quia natura omnes homines æquales fecit: Naſcimur in hunc Orbem Pares, & ſine ullâ prærogativa Jurium; proinde ſi unus præ alio hanc prærogativam non habet, dum naſcitur, nec eandem poſtea acquirere poterit, certè naturâ indigitante, & per conſequens hæc poteſtas ab initio omnibus competiit. *Ita Excell. Dominus Coccejus in Prælect. Grot.* Hoc igitur eſt Dominium illud quod humano generi datum atque conceſſum eſt, hæc eſt Lex quæ Soloni jam dum innotuit, & repetitur in *L. ult. ff. de Colleg. & Corp.* ubi in unaquâque Civitate dicitur eſſe τὸ κύριον. Hæc eſt Originaria illa Poteſtas à naturâ conſtituta in Univerſa illa Societate. Cùm autem illa creſcente hominum multitudine, & ſimul creſcentibus vitiis, amplius conſiſtere non poſſet, neceſſariò eadem dividi debuit in plurima membra ſubdiviſa magnæ illius Civitatis, in quibus eadem circa Poteſtatem Jura ſunt, quæ antea fuêre totius. Præpoſuerunt igitur ſibi Gentes Reges & Principes fruendæ Juſtitiæ causâ, ut Herodotus loquitur, conf. *l.* 2. §. 13. *ff. de O. J.* & conſtitutæ ſunt Civitates, quæ nihil aliud ſunt quàm Receſſus à Statu naturali. Neque aliam eſſe cauſam poſt Deum, quàm voluntatem ſingulorum omniumque conventionem, nemo, quantum novi, præter Graswinkelium, hactenus negavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

IV. Placet autem heic cauſas illas voluntatem impellentes ad genuina ſic Principia revocare. Ut Populus aliquis velit unius aut plurium Imperio ſubeſſe, neceſſe eſt bono aliquo impellatur; voluntas enim non niſi boni eſt. Jam bonum conſtat eſſe triplex, honeſtum, Jucundum, utile. Quicunque E. Populus aliorum Imperio & Poteſtati ſe ſubjicit, vel Bono honeſto, vel Jucundo, vel utili ducitur. Honeſto, ſi Principem ſibi conſtituat propter fortitudinem, qualis prædicatur Hercules, vel propter liberalitatem, quæ initium dedit Regno Heroïco, docente *Ariſt.*3. *Polit.* 11. vel propter aliam aliquam virtutem, qualis fuit Cyrus. Jucundo impelluntur homines ad conſtituendas leges, ſi ſint ingenio libertatis non valde appetente & Regibus ſueto, quod de ſe ait Grot. Cappadoces ſenſiſſe videatur *lib.* 1. *c.* 3. *th.* 8. qui oblatæ à Romanis libertati vitam ſub Rege prætulerunt, negantes vivere ſe ſine Rege poſſe. Hoc verò Jucundum eſſe patet vel (2.) ob externæ dignitatis præſtantiam & corporis proceri ac pulchri conſpicuam ſtaturam, qualis in ſacro Codice deſcribitur Saulus. Nam quod admirabile eſt, commovet cupiditatem ſui & jucundum eſt *Ariſt.* 1. *Rhet.* 11. §. 8. vel (3.) moventur autoritate & exemplo Gentium, quæ per ſecula plurima ſub Imperio regio ſatis feliciter vixerunt, Nam ſic felices ſe quoque fore ſperant, quæ ſpes jucunda eſt. Jucundum enim eſt, imitari alios *Id. Ib.* §. 41. Maximè verò utilitas movere ſolet Populos, ut ſe & Jus totum Imperandi alii tradant. Nempe aut ſpes largitionis, quo adminiculo Philippus Macedo, & noſtrâ memoriâ Rex Galliæ ſibi multa loca homineſque ſubjecit. Aut merces, quando Cives pecuniâ corrupti, tyrannidem affectantibus, opem ſuam conferunt, iiſque ſe ſubjiciunt, ut ſæpe in Republ. Romana factum conqueritur Tullius 2. *Offic.* 8. Referri huc etiam poſſet metus majoris mali, quod reſpectu minoris utile videtur, nempe (1.) vel periculum interitus, aut à vi externâ aut ab inopiâ, idque non aliter evitabile; ita Campani, Collatini, aliique populi in ditionem Romanam venerunt, de quibus *Grot. lib.* 1. *cap.* 3. §. 8. *n.* 3. Eandem ob cauſam Livonia, Lithuania, aliæque Provinciæ olim acceſſiones ſunt factæ Regni Polonici, vel (2.) Habitatio aut libertas non aliter parabilis exemplo ſervorum Germanorum, vel (3.) tempora Reipubl. corrupta nec niſi unius abſoluto Imperio ſanabilis, quod de Romanâ, qualis erat Cæſaris Auguſti temporibus multis Prudentibus viſum eſſe ait Grot. *d. lib.* 1. *c.* 3. Et neſcio an multum abfuerit ſuperiore ſeculo, quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

quin fœderatæ Belgii provinciæ, unius Principis poteſtati, eundem ad modum ſe permitterent.

V. At verò quouſque hæc in Imperantes collata poteſtas ſe extendat, & quænam in univerſum inter eos ac ſubditos Jura intercedant, digna profectò eſſet Quæſtio, quæ uberius exſequeretur, ſed cum illa totam Juris Publ. diſciplinam conſtituat & plena ſit difficultatis, habenda erit ratio inſtituti. Vid. poterit *Ampliſſ. Dn. Huber. in tr. de J. C. lib. 1. c. 9. & ſeqq.* ubi eruditè & pro more ſuo ſolidiſſimè eandem tractavit, Ex dictis certè conſtat, quod Imperantes nullo modo plus obtineant, quàm ex voluntate eorum qui Imperium dederunt. Illud enim ſummum Imperium, quod in qualibet Civitate exiſtit, quando deinde conſideratur, prout eſt collatum, vel in unam Perſonam vel in unum Concilium ex Paucioribus aut Univerſis conſtans, tanquam in ſubjectum proprium, non ubique ita abſolutum & liberum fuit relictum, ſed alicubi certis Legibus alligatum eſt, quandoquidem unius hominis Judicium in diſpiciendo eo, quod ſaluti Publ. expedit facile poteſt decipi, & rarò in tanta libertate libidines rationi obluctantes compeſci poſſunt. *Puffend. Diſſ. de Reb. Geſt. Phil. Mac. Th.* 10. Unde eſt, quòd pleræque gentes circa tranſlationem. Regiminis certas conditiones ſtipulentur, quas *Capitulationes* vocant, quibus, velut intra cancellos aliquos redigitur αὐτοκράτεια. Nec enim hic facio cum Lampadio, qui in libro *de Republ. Part.* 3. *cap.* 2. §. 12. ſtatuit, in Imperio noſtro, per Capitulationem non tam conveniri, quæ Jura Imperatori competant, ſed potius declarari, quas Majeſtatis partes non impertiant Electores. Præter quam enim quod, quicquid cohibet liberam agendi facultatem, illud intra certos limites facultatem illam cogit, in omnibus Capitulationibus uſitatæ illæ formulæ: Haben wir uns geding und pact-weyſe verglichen / vertragen / dahin verglichen / etſi conf. *Vitriar. J. J. P. l.* 1. *Tit.* 7. *n.* 4. *in not.* Idem clarè evincunt. Imo jam antiquisſimis temporibus limitata Regna audiverunt βασιλεῖαι κατὰ νόμον Lex autem eſt Reipubl. ſponſio ſecundum Papinianum *Conring. ad d. t. Lamp.* quo pertinet quod Tacitus de Germanis dicit nunquam apud eos Regibus fuiſſe infinitam poteſtatem, ſed ſuadendi magis autoritate, quàm Imperii poteſtate præfuiſſe. Neque tamen iſta Imperii limitatione, injuria fit Principibus, nec quicquam ipſorum Majeſtati detrahitur; nam ſi grave videbatur imperium accipere, quod pro arbitrio gerere non poſſent, licebat

 illud

illud recuſare. Et omnes ferè Monarchæ inter ſaniores gentes certa quædam capita, unde vox *Capitulationis* deſcendit (*Vid. Lymn. in Com. ad Cap. in Proleg. ſect.* 1.) promittere ſolent, de quibus tamen non dubitatur, quin Majeſtatem habeant *Vid. Cpz. de Lege Reg. Germ. C.* 1. *ſect.* 6. 7. 8. *Lymn. d. l. ſect.* 2. *th.* 3. 4. diſtinguenda enim eſt ſummitas, ab habendi plenitudine *Grot. Lib.* 1. *cap.* 3. *th.* 1. *Strauch. Diſſ.* 4. *th. ult. Limn. lib.* 1. *C.* 12. *ibique in addit.* Cujus exemplum eſt in Statu Oeconomico ex *L.* 1. *ff. Rer. Amot.* ubi Uxor dicitur quodammodo Domina, cùm tamen Maritus ſit ſummum familiæ caput & illa hujus radiis coruſcet, ut loquuntur interpp. Domina autem hîc dicitur reſpectu liberorum, quos regendi & educandi ipſi competit Poteſtas, ut tamen, ſi concurrat cum Poteſtate mariti, uxor ſit inferior, nec obſt. quod Majeſtas omnis ac Poteſtas ſit à Deo *ad Rom.* 13. *verſ.* 1. Qui certam quaſi Regibus menſuram præſcripſit, cujus partem neque ipſi ut delibetur, pati, neque populus, ut circumſcribatur, poſtulare poſſe videntur, non magis quàm inter uxorem & maritum tale pactum iniri poteſt, ut ille ad hujus furtivos amores conniveat,

——— Doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calices, vigilanti ſtertere naſo,

Facile enim concedo Imperia eſſe à Deo, i. e. Deum voluiſſe ut inter homines conſtituerentur Imperia, Deus enim eſt, cujus Lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur *Liv. lib.* 25. pulcrè *Ariſt.* 1. *Polit.* 2. & 1. *Eth.* 7. Sed tamen hoc ita voluit, ut in arbitrio hominum eſſet, (ſalrem quibus ipſe Deus Leges Civiles non dedit) quam Reipubl. formam, in ſocietatem ſuam introducere velint. Unde in arbitrio liberi populi ſine dubio eſt, an abſolutum Regi ſuo Imperium, an limitatum velit tradere, modo illa limitatio nihil impium & ſummæ Poteſtati contrarium contineat.

VI. Ut autem clarius intelligatur, quando & quouſque Regis Imperium abſolutum eſſe definat, cavendum imprimis, ne decipiamur vocabulis & rerum externarum ſpecie *Grot. lib.* 1. *c.* 3. *th.* 10. eo quòd principatus, regni, alteriuſve regiminis nomina ſæpe confundantur, ſæpeque diverſa imperiorum genera ſignificent, adeoque imprudenter quis è vano verborum ſtrepitu de ſumma Poteſtate judicaverit. Rectè in hanc rem *Monzamb. cap.* 6. §. 6. *p. m.* 109. *Inania titulorum genius ſeculi ſtyluſque Curiæ produxit, non plus ferè efficaciæ habentia quàm alia verba bonoris in*

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

quæ ignaviſſimus quiſque ſolet eſſe effuſisſimus. Nec tamen nuda Promiſſio & obligatio etiam Juratoria minuit aut tollit ſummam Poteſtatem *Grot. d. l. th.* 16. etiamſi is, qui imperaturus eſt, promittat aliquid, ad quod ſine promiſſione non teneretur, quod & Grot. monet. d.L. rationem hanc reddens, quia nec Paterfam. Nec maritus, familiæ aut Uxori aliquid promitteus, imperio tali propterea excidunt, addatur & illa ratio, quòd ſola & nuda Promiſſio etiam Juratoria non ſit necesſitatis per ſe, ſed voluntatis, ex quâ vim omnem habet. Sic Deus ipſe multa fidelibus promiſit, indeque ſe obligari voluit nec quicquàm tamen ideo decedit Majeſtati Divinæ. Frenum eſt promisſio & Juramentum Regi, ne licentiâ exundet, ne ultra modum ferociat, non virga in manu Populi quoferiat exarbitantem *Oſiand. ad d. l. Grot.* Sed ut ab iſta generalitate diſcedatur, ſciendum, promisſiones, obligationes & Juramenta non eſſe unius generis, quædam enim præſtantur ſtipulanti Populo ex necesſitate, ita ut niſi regni Candidatus eadem juratò promiſerit Rex fieri & eſſe nequeat. Quædam vero nemine adigente, aut necesſitatem imponente ex proprio motu vel ex populi rogatu, conſilio, inſtinctu, præſtantur, pertinent que ad ſolennia duntaxat delati Principatus, ut non repugnet aliquem etiam abſque tali Jurejurando rerum potiri. Ad hæc diligenter attendendum ad objectum promisſionis, ſive ad id quod ab Imperaturo promittitur. Vel enim pertinet ad ipſam imperandi facultatem ſive ad Jura ſummi Imperii, ut ſi quis juret ſe novas Leges ferre, bellum gerere, religionem mutare nolle; vel ſi tantùm ad laudem & Virtutem boni Principis ſpectat, veluti ſi juret ſe juſtè ſine ambitione & odio regnaturum: per illa, non per hæc Majeſtati aliquid decedit. Sed & vel maximè modus promittendi ſpectandus, qui ſi fiat per declarationem tantùm voluntatis qua promiſſor ſoli Deo tanquam ſuperiori obligatur, populo autem ex veracitate duntaxat, ita ut quoad civilem obligandi rationem non ſuperſit facultas humana, quæ vi & ab initio promisſionem iſtam expoſcat; & ſic promisſio eſt ſine imminutione ſummæ poteſtatis. Exemplo ſit formula Juramenti quam ex antiquisſimis Gorgobiorum archivis deprromptam, afferre ſe dicit *Bodin. lib.* 1. *de Rep. c.* 8. *Juro ego per Deum Omnipotentem ac promitto me juſte regnaturum, juſtitiam, æquitatem & miſericordiam facturum &c.* Dico hoc Juramentum cum imminutione ſummæ poteſtatis non eſſe conjunctum, quia quæ continentur in eo

vim

vim obligandi habent ex Jure Naturæ, quo Univerſum genus humanum, & ipſos etiam Monarchas teneri, manifeſtum eſt. Memorari heic quoque debet modus ille firmandi Regii Juramenti apud Anglos valde notabilis ſub Henrico III. *quem Polyd. Virgil. & Backerus in ejus vita*, referunt. Sancita erat devotione Carminis horrendi in eorum capita qui Pactis non ſtarent, Charta Magna, ut illi vocabant, legebatur illa, Rege cum Proceribus erectis, faces manibus ardentes tenentibus, quas Carmine prælecto in terram projecerunt, iiſque fumantibus conclamarunt. *Sic extinguatur, ita pereat, qui fidem non ſervabit.* At verò ſi oblatio imperii merè Conditionata ſit, & formula Jurisjurandi aliquid contineat, quo intelligi poſſit, Regem cogi, aut puniri poſſe, plurimum decedit ſummæ poteſtati, fieri enim nequit, ut aliquis ſit & maneat ſummâ plenaque poteſtate præditus, & tamen idem alteri ſit obligatus perfectè, ita ut Jus cogendi & puniendi habeat, nam Jus cogendi non cadit in inferiorem, Jus itidem puniendi eſt actus ſuperioris *Grot. lib.* 1. *c.* 3. §. 15.

VII. Hinc facilè patet quid ſentiendum ſit, ſi LL. fundamentalibus adjiciatur talis *Clauſula Commiſſoria*, ut ſi Rex fidem fallat, ut tum Regno cadat? R. ſi ea Clauſula intelligatur eo ſenſu, ut Princeps Regnare velit, ſicut bonum Principem decet, aut ſi aliter agat, Regno excidere videatur; ſi inquam nihil præterea addatur, neminique vel cauſæ cognitio, vel Jus exequendi conferatur, ſed ſanctimonia ſummæ Poteſtatis nihilominus maneat ſarta tecta, puto cum Grotio ne ſic quidem Imperium deſinere eſſe ſummum. Quanquam rectè monet *Boeclerus ad d. l. Grot. p.* 249. *& ſeq.* admodum ſubtilem eſſe iſtam explicationem & ad uſum Vitæ, moreſque civiliter loquentium, vix quadrare. Et talem quidem formulam Poloni & Hungari Electionibus ſuis adjicere ſunt ſoliti, illique nondum deſierunt, hi novo Regi ſuo, volentes nolentes, eam nuper, ſub titulo de Edicto R. Andreæ tollendo remiſerunt.

Ita ejuſmodi formulam Stephano Batorio cum Polonorum Rex crearernr à Proceribus præſcriptam refert *Chytr. Chron.* XXIII. *p.* 620. & *Hartknock. de Republ. Pol. lib.* 1. *c.* 24. cujus in fine legas. *Et ſi (quod abſit) in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi incolæ Regni &c. obededientiam præſtare debent, imò ipſo facto eos ab omni fide & obedientiâ Regi debitâ abſolutos facio.* Fatendum ſanè ejuſmodi ſanctione plurimum decedere ſupremæ

Sere-

Sereniſſimi Regis Polonorum Majeſtati, quandoquidem Civibus aut Magnatibus expreſſe poteſtas conceditur & Jus opponendi ſe atque Reſiſtendi his, quæ contra pacta fundamentalia fiunt, uti ſimili modo in Edicto R. Andreæ continebatur: Rebelles non fore, qui Regum Actis, contra Leges ſuſceptis vim opponerent. At verò cùm tam magna Juris Regii ſubmiſſio frœna licentiæ ſubditorum maximè laxare videatur Conf. *Fredro in Hiſtor. Henrici I. p.* 110. dico ejuſmodi Leges eſſe potius præmunimenta quædam, quàm ut ad earum ſtrictam obſervantiam, legiſlatores teneri voluerint jurantes. Viderunt & illud Status Regni Polonici, unde Ao. 1607. & 1609. hanc nimiam Regis ſui ſubmiſſionem, ita declaraverunt & mitigarunt, ut ſi poſt trinam admonitionem à Senatoribus, Nobilibus & Ordinibus factam, Rex morem gerere nolit, atque ſufficienter probari poſſit, vim inferri à Rege Privilegiis, tum demum Ordines ſeſe gerere poſſint ſecundum articulum de non præſtanda obedientiâ, uti illud refert *Hartknock. de Repub. Polon. l.* 2. *c.* 2. *§. ult.* Igitur in genere quæ talia ſummam poteſtatem minuentia pacta ſint, non niſi perſpectâ penitus Jurisjurandi formulâ omnibuſque in eâ momentis conſideratis, ſolidè dijudicabuntur. Exempla plura ſuppeditat *Bodin. lib.* 1. *c.* 8.

VIII. Nolim tamen ego heic aſſerere Imperatorem noſtrum ſub tali *Clauſula Commiſſoria* Imperium ſuum tenere, quandoquidem ex veriori ſententiâ, non reperitur in Jure Publ. Germaniæ ratio expreſſa, quare & quas ob cauſas deponi poſſit Imperator Dom. *Rhæt. I. I. P. lib.* 1. *Tit.* 4. §. 65. & quæ hanc in partem allegantur Exempla Ludovici Pii, & Henrici IV. nec non Adolphi Naſſovii & Wenceſlai, plus facti quàm Juris continent; & poſterius præcipuè inter caſus planè extraordinarios & diræ neceſſitatis ponendum videtur, quod Regulam conſtituere, aut pro præjudicio allegari nequit, maximè cum idem deſtitutus Wenceſlaus, à quibuſdam Germaniæ Principibus ac Civitatibus pro Imperatore fuerit habitus Conf. *Boecler. in Not. Imp. lib.* 4. *c.* 1. *p. m.* 117. *& ſeq.* Nec obſt. quod, quicquid Imperator commiſit contra Capitulationem, ipſo Jure nullum cenſeatur per *Capit. Carol. V.* §. 33. *& Ferdinand. I. art.* 3. verbis: das alles ſol kraftlos und abſein / inmaſſen wir es auch / ietzo als dan / und dan als ietzo / hiemit caſſiren / todten und abthun: in *Capit. Leopold. art.* 36. in f. das ſoll alles nichtig ſein Hoc enim vix univerſale eſt, quandoquidem in certis tantum articulis, illa Commina-

minatio adjicitur. Voluerunt quidem in Electione Leopoldi Imperat. Glorioſiſſimi quidam ex Statibus generatim hanc Clauſulam Commiſſoriam adjici, daß im fall der Keyſer / etwas wieder die Capitulation handelu wurde / Er alsdan ipſo facto des Keyſerthumbs / und aller durch die Election acquirirten rechten / verluſtig / hingegen die Stände ſampt und ſonders Jhrer Pflicht erledigt / Er auch den Churfurſten nicht verhinderlich ſein ſolte / einen anderen Keyſer nach inhalt der güldnen Bull zu erwehlen / non tamen hæc res ad effectum deducta. *Ita Magnif. Dn. Strijk in Colleg. Priv. ad d. l. Rhæt.* Imò ſi maximè illud univerſaliter verum eſſet, tamen ſano ſenſu idem eſſe accipiendum patebit ex θ. ſeq. Quod ſi tamen Imperator verè hoſtili animo feratur in exitium Imperii (conf. *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.*) & arma ſumeret contra Status, ut libertatem tollat, tum non tantùm armis ſe defendere poſſent Status, ſed & ſuæ ſecuritatis causâ alium eligere valerent Imperatorem. Vid. *Carpz. de L. Regiâ c. 14. ſect. 1. & ſeq.* conſiſtere enim ſimul non poſſunt voluntas imperandi & voluntas perdendi. *Grot. lib. 1. cap. 4. §. 11.*

IX. Scilicet in omni vel abſolutiſſimo Imperio, excipitur ſemper licentia continuo inſtituto in Perſonas & bona ſubjectorum graſſandi, vim manifeſtam vitæ Civium more latronis inferendi Conf. Ampl. *Huber. de Jure Civ. 1. c. 9. §. 25. & Grot. de J. B. lib. 1. c. 4. p. tot.* Planè enim Princeps, qui notoriè egreditur Officii ſui terminos, deſinit eſſe Princeps & incipit eſſe privatus in eo quo excedit; ratio, quia poteſtas, quæ Principem facit, conſiſtit in hujuſmodi legitimo Imperio, & obligatio ſubditorum non naſcitur, niſi ex Imperio legitimo. Ubicunque E. deſinit Imperium, deſinit etiam obligatio, ex natura Relatorum, nec ſecus docet Grotius Acerrimus aliàs ſummæ poteſtatis Vindex *d. l. §. 13.* Idem etiam conſtat ex eo, quod Pincipi extra territorium Jus dicenti impunè non paretur *l. ult. ff. de Juriſd.* nihil autem intereſt, an fines Imperii excedat loco vel causâ. Exſtant quoque hanc in rem omnis ævi exempla illuſtriſſima: Ita Dion ejecit Tyrannum Dionyſium è Siciliâ, quod non tantum probatum fuit à Platone, ſed & ejus conſilio factum *vid. Cornel. Neque in vita Dionis.* Idem fecit Thraſybulus apud Juſtinum, ita & Mezentius Etruriæ Rex ejectus fuit, probante hoc poëta.

Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis,
Regem ad ſupplicium præſenti morte repoſcunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Idem contigit cum Bruto, qui Tarquinios ejecit, & cum Julio Cæſare, de quo *Cicero in Or. Philipp. 2. Omnes boni quantum in ſe fuit occidêre Cæſarem, aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit, voluntas nemini.* Atque hinc omnium ferè gentium conſenſu juſtum fuit habitum ſupplicium Neronis, qui hoſtis judicatus, uti hoc recenſet *Sueton. in Vitâ Neron. c.* 49. Idem etiam tum temporis Vir ille egregius Piſo probavit *apud Tacit. lib.* 15. *Annal. cap.* 52. quamquàm noluerit Neronem occidi in hortis ſuis, non, quod ipſis licitum non eſſet Tyrannum interimere, ſed ideo, quia noluit hoſpitium ſuum cruentare & fidem fallere hoſpiti. Quandoquidem autem hoc periculoſæ plenum eſt opus aleæ, & facile toti Civitati exitioſum, rariſſimè & non niſi ſumma neceſſitate flagitante, eò erit deveniendum, namque ſecundum Juven.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Veriſſimum etiam eſt illud Taciti: Res præteritas ſuſcipien„das & in honore habendas eſſe, præſentes ferendas: Bonos „Principes expetendos, ſed eos, qui imperant, ferendos tole„randoſque eſſe, qualeſcunque fuerint. Qui ſecùs faciunt, perſæpe in cauſa ſunt, tum ſui, tum Patriæ interitus atque ruinæ *Machiavell. de Republ. lib.* III. *cap.* 6. *p.* 296.

X. Regulariter E. contra injurias à Principe abſoluto & ἀνυπευθύνῳ illatas, non niſi fugâ & ſupplicationibus ſibi conſulere poſſunt ſubditi, quibus ſola parendi gloria relicta eſt *Vid. Carpz. de L. Reg. Germ. c.* 14. *ſect.* 2. *Grot. lib.* 1. *c.* 4. *paſſim Arniſ. de Republ. lib.* 2. *c.* 3. *ſect.* 6. *& ſeq. Dn. Becman. Diſſ. de ſuſpecta Doctrinâ Tyrannid.* Adeò vera eſt illa Juris Romani Regula, omnibus Politicis & Juris Publ. ſcriptoribus decantata *Principem eſſe Legibus ſolutum ex l.* 31. *ff. de LL.* quanquam & in explicanda eâ mirificè varient interpretes, uti videre eſt ap. *Ant. Matth. Diſp.* 1. *ad Pand.* Ego, ut quod in hoc cap. tractandum reſtat *vid. ſupra th.* 2. obligationem, quæ oritur ex Legibus fundamentalibus & in illis communiter receptum uſum *Clauſulæ Commiſſoriæ* eò clarius demonſtrare poſſim: Dico, Principem abſolutum nullis planè Legibus ſubjici, ne quidem illis (abſit invidia dicto) quæ Naturæ, Gentium & Divino Jure ſunt ſancitæ, non ſolum quoad vim coactivam, ſed & directivam ut loquuntur Interpp. *Deus enim ipſe Leges ſubjecit Imperatori, Legem animatam eum mittens hominibus* Nov. 105. *c.* 2. *in f.* hoc tamen ita intellige, quod Princeps qui contra dicta Jura venit, peccet qui-

dem ſed quandoquidem lex nihil aliud eſt, quàm Juſſus ſuperioris, obligans inferiorem, nemo autem ſe ipſo eſt ſuperior, per conſequens neceſſitas Civilis obedientiæ, in quâ vis Legis conſiſtit, *l.7. ff. de LL.* in Principem cadere nequit. Digna quidem vox eſt Majeſtate Regnantis, Legibus alligatum ſe Principem profiteri, ſecundum *l.* 4. *C. de LL. add. l.* 23. *de Leg.* 111. ſed id intelligendum de Officio & voluntaria ſubmisſione, non autem de Iuris necesſitate.

XI. Et eo ſenſu receptum eſt inter pleroſque Chriſtianos Principes, ut quamvis abſoluti ſint, forum tamen certum in aliquâ Republ. admittant, non ex Iuris necesſitate, ſed ex ſpontanea voluntate, ne via Iuris ſubditis denegata videatur, quod quidem Iudicium Compromiſſorium dici ſolet. Ita Rex Galliæ in cauſis Civilibus Parlamentum ſolet agnoſcere Iudicem ubi ſe per Procuratorem ſiſtit, quam in rem elegans extat epigramma. *M. Santevil Canonici de S. Victor. in Journal de Scavans ad ann.* 1681.

Regem inter populumque, ingens de Divite fundo
Lis erat, eventus Urbs male tuta tuta timet.
Scinduntur varii ſtudia in contraria Patres,
Rex propriâ, ſemet Judice, lite cadit.
Vinci dum voluit, potuit dum vincere, Patrem
Se Populi, Regem ſe probat eſſe ſui.

Et Principes quoque Imperii coram ſummis ſuis Dicaſteriis relaxato Conſiliariis Juramento, actiones ſuſcipere ſolent. Sed num in regno per pacta certa limitato res aliter ſe habeat, dubitari hic fortè poſſet. Dico E. in Legibus ſeu Pactis Regni fundamentalibus duplicem ineſſe ſanctionem, expreſſam vel tacitam; de illa ſuperiùs actum, eamque ſummam poteſtatem reverâ imminuere, maximè ſi Concilium aliquod ſit in Partes aſſumtum, cui & cognoſcendi & exequendi poteſtas competat, demonſtratum eſt, adductis exemplis Poloniæ & Hungariæ Regum. Tacita eſt, quæ verbis non exprimitur, ſed ex natura negotii colligitur; hæc duplicem iterum gignit effectum, nullitatis unum, quatenus acta Principum Pactis fundamentalibus contraria ſunt, ipſo Jure nulla & alterum Ius de facto, ut ajunt, ſe opponendi atque reſiſtendi. Prior ille omnibus Capitulationibus ineſt quanquam civilitatis gratiâ communiter omitti ſoleat, quoniam Princeps Iura ſibi expreſſe denegata invadens, hactenus privatus eſt, uti itidem ſuprà ex Grotio aſſertum & probatum eſt, ad poſteriorem

rariſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

rariſſimè & non niſi ſummâ id flagitante neceſſitate fatalem Rei-publ. interitum minitante, erit deveniendum.

XII. Igitur ut rem in pauca contraham, ex LL. Fundamentalibus nulla alia oritur obligatio, quàm Naturalis illa inefficax, qualem tradit JCtus in *l.* 25. §. 6. *ff. de Hered. Petit.* Princeps enim tenetur quidem Populo, ſed non aliter, quam Paterfam. ſi quid Uxori, liberis, ſervis ſuis promiſerit, obligatur. Egregiè hanc in rem Felden. in not. ad *Grot. de J. B. lib.* 1. *c.* 4. *p.* 56. *quod liberi, inquit, parentibus debent, idem ſubditi Regi, qui civiliter praeſt, præſtandum obligantur, & quia ſumma ſunt horum beneficia, injuriæ parvi faciendæ, facilè enim per beneficia reliqua compenſantur.* Nec tamen hoc impedit, quò minus quod ejusmodi Princeps contra LL. Fundamentales fecit in vitium *Commiſſi* ſeu nullitatis incidat, eo ſc: effectu, qui in naturalem obligationem cadere ſolet, non ſecus ac Arbiter compromiſſo electus, hoc ipſo non obligatur Partibus, ſed hæ tenentur acquieſcere in eo, quod Arbiter ſive æquum ſive iniquum, dixerit. *l.* 27. §. 2. *ff. de Recept. Arbitr.* Quod ſi tamen Arbiter compromiſſi terminos exceſſerit, quod hactenus ſtatuit, ipſo Jure nullum eſt *l.* 32. §. 25. *ff. Eod.* Plura hanc in rem congerere poſſem ſed quoniam jam juſto longius excrevit hoc caput & ne Iliada poſt Homerum ſcribam remitto, B. L. ad Ampliſſ. *Huberum de J. Civ. Cap.* 19. *& ſpec. Diſſ. de Imp. Cap.* 5. ubi fuſius hanc materiam ex ſecutus eſt.

Ex dictis certè conſtat, quem uſum habeat in LL. maximè Fundamentalibus ſæpius dicta *Clauſula Commiſſoria*, & quoniam hactenus tractavi de quæſtionibus Commiſſi, quæ circa ſummam in Republ. poteſtatem in ordine ad ſubditos moveri poſſunt, non incongruè me facturum putavi, ſi propter affinitatem materiæ, quæ Commiſſorum Jura inter diverſas ſummas Poteſtates hinc inde intercedunt, ſpeciali Capite tractandum ſuſciperem. ſequitur E.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

CAP. III.

De Quæſtionibus Commiſſi inter Diverſas Summas Poteſtates & in ſpecie de Mercibus Contrabandæ.

I. Quæ hactenus tractata ſunt Commiſſorum Iura probè ſatis cum traditâ in *Cap.* 1. *th. ult.* definitione conveniunt; ſed quomodo eadem iis quæ ſequuntur applicari queant, dubitari fortè poſſet, quandoquidem diverſæ Summæ Poteſtates, nullum agnoſcunt ſuperiorem, prærer Deum & enſem, adeoque nec altera alteri vel quicquam præſcribere, vel Ius aliquod auferre poteſt; Iuris enim ablatio involvit ſuperioritatem & obligationem, quæ inter diverſas Summas Poteſtates intercedere nequit. *Conf. Dominus Puffend. de I. N. & G. lib.* 2. *c.* 3. §. 22. Verùm præterquam quod ἀνυπεύθυνοι illi obligantur Iuri Naturæ, vi dictaminis à Deo Cordibus hominum impreſſi, eo effectu, qui cap. *præced. th. ult.* traditus, in ordine ſc: ad ſubditos ſuos; tenentur etiam, ratione exterarum poteſtatum, ſtare Iuri Gentium, hoc effectu, ut ſi quid contra moliantur, alteri Ius puniendi competat, quandoquidem poteſtas puniendi, non ſolummodò eſt effectus Iuris Civilis; ſed & ex Iure Naturali venit, ſecùs ac putat Vaſquius Vid. *Zouchæus de Iure int. gent. Part.* 2. *ſect.* 7. *Grot. lib.* 2. *Cap. de Pœn. th.* 40. ubi tamen & th. ſeqq. cautiones quaſdam addit *Conf. Ziegl. ad d. l. Grot.*

Ex hoc autem Jure ſecundum Hermogenianum in *l.* 5. *ff. de I. & I. Orta bella, gentes diſcretæ, Regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, Commercia inſtituta*; nec enim illa Iuri Naturæ commodè adſcribi poſſe videntur; Et quamvis in dicto Iure Gent. nulla cauſa neceſſariæ obligationis eſſe videatur, (quam rationem objicit *D. Puffend. d. l. ſecutus Hobbeſium in tr. & Cive c.* 14. *n.* 4.) Dico tamen cum Ampliſſ. Hubero *in Diſp. Eunom.* 1. *th.* 12. conſenſum plerarumque Gentium hic eſſe cauſam obligationis indubitatam: nam ſi talia, quæ longius à ſimplicitate naturali abeunt, Iuris Naturæ dicenda eſſent, nihil vetaret omnia Iuris Civilis inſtituta æquè Iuri Naturæ vindicare. Patet hoc maximè ex eo, quòd res in unâ Civitate judicata, effectum ſortiatur in alieno territorio; quòd Contractus, ſecundum

loci

loci conſuetudinem initus, alibi, ubi ita celebratus non valeret, pro legitimo habeatur; quamvis enim ad ea diverſa Populi non teneantur, deficiente tam pacto, quàm ſubordinationis neceſſitate, ratio tamen promiſcui uſus inter gentes conſtituti, mutuam hâc in parte flagitat indulgentiam, manifeſto exemplo, multa ex ratione Iuris Gentium inter Principes decidenda eſſe, quæ Iuri Nat. commodè adſcribi nequeunt. *Vid. omnino Ampliſſ. Huber. de Iure Civ. lib.* 3. *cap.* 10. *& in Prælect. ad ff. ad Tit. de Iurisd. rubr. de Conflictu Legum.*

II. Magnus autem omni tempore fuit Commerciorum favor atque utilitas *Mæv. tr. de levam. Inop. debit. cap.* 1. *n.* 5. *& de Arreſt. cap.* 4. §. 1. *n.* 5. Unde multa contra Juris Communis Regulas illorum favore ſunt introducta, conf. elegans *l.* 5. §. 3. *ff. de Iure Immun. Marquard de Iure Merc. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 68. *& paſſim.* Sic *Sueton. in* Vitâ *Claudii* teſtatur, Claudium Imp. multa nova Jura erigendo & introducendo, inter alia negotiatoribus certa proemia & lucra propoſuiſſe, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, cœteraque ſummam mercatorum curam habuiſſe *Peck. ad Tit. ff. de Inund. Ruin & Naufr.* §. *ICtum Claud.* 8. Nam cùm terram ejuſque fructus Natura omnium hominum causâ produxerit, nec tamen omnis ferat omnia tellus, uti nec omnes ſtellæ unâ cœli parte fulgent, artibus etiam aliis gentes alias excellere videamus, periclitaretur certè univerſum genus humanum, niſi liber cunctis gentibus ad cunctas pateret aditus, maximè cùm multæ terræ ſibi aliendis non ſufficiant *Conf. Grot. Diſſ. de Mari lib. cap.* 1. Ut adeò meritò Juſtus Lipſius dixerit: Societatem Civilem duobus maximè conſtare, Commercio & Imperio *lib.* 2. *Civil. Doctrin. cap.* 1. *Vid. Knipſchild de Iurib. & Privil. Civ. Imp. lib.* 5. *cap.* 20. Imò per Commercia non hominum tantum ſed & Dei gloriam propagatam eſſe docet abunde hiſtoria. Unum hîc in laudem Patriæ lubet addere *ex Conring. de Finib. Imp. c.* 26. *p.* 289. Primam, inquit ille, occaſionem „fundandi in Livonia Eccleſiam, Bremenſes negotiatores dede-„runt, qui circa an. 1160. tempeſtate in Dunæ Fluvii Oſtium „rejecti, cum vicinis Livis & Commercia, & in futurum pro „mercandi libertate pacta quædam inierunt, eorundem conſen-„ſu ſacello in Dunæ inſulâ exſtructo, quæ à Re *Kirckholm* dein-„ceps nuncupata eſt. Paulo pòſt Menardus Monachus à Bre-„menſibus adductus, ſparſo ritè verbi Divini ſemine, cùm feli-

„citer

„citer ſacra propagâſſet meruit ab Alexandro III Papâ Ao. 1120.
„Epiſcopus gentis conſtitui, ſede ad Dunæ ripam Uxkillæ ipſi attributâ. Plura hanc in rem Exempla allegare meritò heic ſuperſedeo, tu vide *Marquard. d. Tr. lib. 1. cap. 2.* Rectisſimè igitur Seneca ſummum Naturæ beneficium judicat, quod & vento gentes disſipatas miſcuerit, & ſua omnia in Regiones ita deſcripſerit, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos Commercium *Nat. Quæſt.* 3. 4. Et ex dictis facile conſtabit, Commerciorum libertatem Juris gentium eſſe, i. e. ex genere eorum quæ gentes ſibi invicem præſtare, & quorum obſervantiam peræque cuſtodire necesſitate quadam inevitabili tenentur. §. 2. *I. de I. N. G. & Civ.* Ita *apud Plutarchum in Pericle* cum Athenienſes Megarenſibus interdixiſſent omnibus emporiis & portubus ſuis, iſti queruntur id fieri παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια, *præter Ius gentium.*

III. Iſte tamen tantopere prædicatus Commerciorum favor, num talis ac tantus ſit, ut nemo, qui negotiandi cauſa advenit, prohiberi à Domino territorii queat, hoc loco primùm tractandum venit, unde poſtea quæ circa prohibitas negotiandi ſpecies inter pleraſque moratiores Gentes, recepta ſunt *Commiſſorum* Jura tanquam Conſectaria ſuâ ſponte ſequentur. Affirmativam tenet *Franciſcus à Victoriâ relect. 5. ſect. 3. prop. 2.* Ut defenderet barbaram ſatis Hiſpannorum in Barbaros exercitam tyrannidem, cujus argumenta Vid. *apud Ziegl. annot. ad Grot. lib. 2. c. 2. §. 23. & Puffend. de N. & g. lib. 2. c. 3. §. 19.* Eandem etiam tuetur *Hugo Grotius de I. B. lib. 2. c. 2. §. 19.* itidem fortè, ut velificaretur ſuæ de mari libero ſententiæ, quippe in quâ defendenda, uti Excell. Dominus Becmannus dicere ſolebat, magis Gentis ſuæ, quàm Juris Gentium Doctorem ſe exhibuit. Contrarium ſtatuunt *Ludovicus Molina de I. & I. tr. 2. Diſp. 125. Zigl. ad d. l. Grot.* & ſuo modo etiam *Dnus Puffend. de I. N. & g. lib. 3. cap. 3. §. 10. ſeq.* quorum ſententiam & Ego heic amplector. Contraria etiam eſt Jurisprudentia Romana in *l. 11. C. de Contr. Emt.* ubi injuſtum dicitur deſiderium ejus, qui vult aliquem invitum comparare vel diſtrahere debere & in *l. 11. ff. de R. I.* ubi id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri poſſe negatur, ad factum autem neminem cogi poſſe, tralatitium eſt. Et Grot. quidem *d. l. §. 13.* Generaliter affirmat, quo minus unaquæque gens, cum quavis gente ſepoſita commercium colat, impediri non poſſe, ratione petitâ ab innoxia utilitate, & communi omnibus homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

hominibus in res Univerſas competente Jure, ſed præterquam quòd utilitas non faciat Jus, uti ipſe Grot. diſputat contra Carneadem in *Proleg.* §. 16. & quamvis maximè ad id, quod mihi non nocet alteri verò prodeſt, præſtandum tenear per *l.* 2. *ff. de Aqu. & Aqu. Pluv. arc.* in meo tamen erit arbitrio, num Titio vel Mævio illud præſtare velim (ex quo capite defendi debet Jus Stapulæ, aliaque Jura quibus merces ſiſtuntur, & ad certum forum trahuntur) non datur etiam, Naturâ indigitante, tale aliquod Jus, quo Poſſeſſor teneatur alteri Vitæ neceſſaria vendere, (1.) quia venditio Jure Nat. conſiſtit in utriuſque partis conſenſu, (2.) quia nemo Jus habet in res alterius, ut ei invito rem ſuam extorquere poſſit, (3.) quia ille Poſſeſſor I. N. de re ſuâ pro lubitu diſponere poteſt. Imò parùm abeſt, quin ipſe Grot. hanc Generalem Commerciorum libertatem evertat, quando *d. cap.* §. *ult.* concedit pactum iniri poſſe cum gente ſepoſitâ, ut ſibi ſoli certi generis Merces alibi non naſcentes, vendat. Ubi ſanè vi hujus Pacti, impediuntur alii, quò minùs cum illâ Gente Commercia exerceant *Conf. Ziegl. ad d. l.* Excuſationem ejus vid. *apud Puff. lib.* 3. *c.* 3. §. 6. Nec Obſt. quæ in hanc partem longa ſerie allegari ſolent Veterum Teſtimonia; alia enim eſt quæſtio, an unusquiſque emere & vendere poſſit cum altero? alia, an quivis Populus unumquemque populum ad Emtionem admittere teneatur? Prior ſimpliciter *Affirm.* & eo tendunt dicta Teſtimonia, vel, ſi mavis, loquuntur de Officio Humanitatis & Virtutis, unde nulla præciſa naſcitur obligatio. Poſterior Quæſtio *negatur*, quia Unusquisque Princeps habet poteſtatem arcendi alios à territorio ſuo *l.* 239. §. 8. *de V. S.* & quia, uti dictum, nemo invitus cogi poteſt, ut emat vel vendat. Igitur Regulariter Commercia exterorum interdici nequeunt. Exceptiones petuntur ex loco illo Communi, quo Princeps ſubditis Jus quæſitum auferre poteſt, ſi ſc: id fiat (1.) propter utilitatem Reipubl. &, (2.) in pœnam, nam in eo conſiſtit Officium Principis ut defendat Rempubl. Utroque autem caſu Judicium eſt penes Principem *Hobb. de Cive c.* 1. §. 9. ille enim ſolus & Conditor & Interpres legis exiſtimatur *l.* 12. *C. de LL.* & quod Principi placuit, Legis habet vigorem *l.* 1. *ff. de Conſt. Princ.* & ſacrilegii inſtar eſt Reſcripto Principis obviare. *l.* 5. *C. de Diverſ. Reſcript.* Maneat E. Commerciis ſuus favor, certè non erit tantus, ut nullis Pactis aut LL. reſtringi queat. Videmus enim, inquit, *Bodin. lib.* 1. *de*

Rep. c. 7. p. m. 109. *Jura Commerciorum ſingularibus Pactis Populorum ac Principum conventis, imò & ſingularum Civitatum Statutis contineri. Strach. de Merc. n.* 44. *ſeqq.* & ipſe *Grot. de J. B. lib.* 2. *c.* 3. §. 15. plurima Exempla pactorum recenſet, quibus Populus alter, alteri ſe obſtringit, ne ultra certum terminum naviget, vel mercatum eat. Recentiora vid. ap. *Marquard. d. tr. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 3.

IV. Igitur cuivis ſummæ Poteſtati libera competit facultas, arcendi Peregrinos à territorio ſuo, interdicendi Commercia, quæ Reipubl. ſuæ proficua non fore judicat, iiſque omnibus pœnam vel Commiſſi vel aliam graviorem addendi, abſque violatione naturalis libertatis, quippe quæ non tollitur, cùm pro cujuſque Populi aut Civitatis conditione, certis Legibus circumſcribitur *l.6. ff. de J. & J.* Salutem enim Populi ſupremam Legem eſſe debere, jam olim LL. XII. Tabb. cautum erat. Nec habent advenæ quòd de indigenarum Statutis contendant *Matth. Steph. de Juriſd. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 37. *& ſeqq. Alb. Gentil. de Jure B. lib.* 1. *c.* 19. modò ne innoxii tranſitus Jura violentur, quæ conſervari totius humanæ ſocietatis intereſt. Huc ſpectant variæ Impp. conſtitutiones, quibus multa venire non patiuntur, multa non exportari, *T. T. C. quæ res export. non poſſ. T. T. C. de Commerc. & Merc.* Hoc fundamento etiam nituntur Variæ variarum Gentium prohibitiones, quarum ſeriem refert *Marquard. d. tr. lib.* 1. *cap.* 7. Et hæc quidem Commiſſorum Jura intercedunt, vel inter Populos utrinque Amicos, aut Bello implicitos, aut denique tales, qui neutras in Bello partes ſequuntur. Singulis ſingula applicabo.

V. Priores quod attinet, primò quidem generaliter quæri poſſet. An iis quibuscum Pax eſt, Commercia interdicere liceat? Reſp? patet ex præcedentibus, Regulariter non licere, niſi juſta adſit prohibendi cauſa, quandoquidem, uti dictum, illi, penes quos ſummum eſt Imperium, de Provinciarum ſuarum uſu, prout Reipubl. utilitas exigit, ſtatuere poſſunt. Quòd ſi tamen manifeſtè appareat, Populum alterum, alterius Amici Populi Commercia ex invidia & odio interdixiſſe, (nam & fratrum quoque gratia rara, & ſæpius, dum canis os rodit, ſocium quem diligit odit;) injuria erit, quam bello & armis vindicandi juſtam Populus alter habebit cauſam: Ita Græci probabant querelam Megarenſium contra Athenienſes, qui eos arcebant ſuis Portubus *contra Jus Commune* ut Plutarchus loquitur in *Pericle*; nec ſi primùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

mùm conceſſerit Populus alter privilegia de mercando, ſufficiet poſtea allegâſſe metum creſcentis vicinæ Potentiæ, forte ne Populus exterus, divitiis auctus, nobis moleſtus fiat, aut noſtræ Regionis deliciis allectus, eandem occupandi, animum inducat. Jus enim meum metu tuo non tollitur, *Grot. lib.* 2. *cap.* 2. §. 14. *n.* 4. eoque minus, quia ſunt rationes cavendi v. g. ne mercatoribus ad penitiora Regni concedatur aditus, quod olim Britanni, nunc Sinenſes non permittere dicuntur, *Neuhof Gener. Deſcript. Chinæ c.* 1. Sed & notandum non videri Commercium negari, cum modus aliquis Commerciorum non admittitur, ſed cùm omninò negatur *A. Jud. inter Gent. P.* 11. *Sect.* 5. *qu.* 9. Ita quæ ad effœminandos animos conducunt, ea mercatores ad Belgas aliquando non adferebant *Id. Ib.* quippe quod ſecundum Conſeiller. d'Etat *cap.* 41. *p.* 216. *eſt le principal moyen de deſtruire un Etat.* Conf. *Ioh. Gryph. de Inſ. c.* 25. *n.* 87. *& ſeq. Ahaſv. Fritſch. de Iur. & Imm. Nund. cap.* 6. *n.* 23. *& ſeq.* Licitè quoque prohibetur exportari aurum & argentum ne Provinciæ exhauriantur; ſic Hiſpanus alicubi Regnorum ſuorum, ſic Anglus facit. Similiter in *Rec. Imp. de An.* 1418. *&* 1417. cautum, ne quis ex Civitatibus Hanſeaticis aurum argentumve in extera loca, pro artificiis inde conficiendis, & abſumendis exportet, ſub pœna vitæ & bonorum *Rec. Imp. de* 1417. quanquam & alias Princeps poſſit habere cauſas, cur exteros ad certum genus Commerciorum admittere nolit, quas ſæpè intellectu magis percipimus quàm elocutione exprimi poſſunt, ut loquitur Ulp. in *l.* 12. §. 3. *ff. rem. rat. hab.* & ita rurſus hoc caſu Iudicium erit penes Principem, *vid. ſuprà th.* 3. Huc etiam ſpectat, quod de prohibito in Gallia ſalis Commercio, par l'Ordonnance de Contrabande refert *Cujac.* 3. *obſ.* 31. & quod Mornacius refert. ad *Tit. C. quæ res ven. non poſſ.* ibidem non licere frumentum aut alias quasvis annonas transferre, niſi permittente Principe.

VI. Nec omittendum heic eſt, quod Conſtitutionibus Impeperatoriis prohibeatur, Privatis Commercium Purpuræ & Serici *l.* 1. *C. quæ res ven. non poſſ. L. ult. C. de Veſtib. Hol.* quod tamen rurſus permiſit Leo. *Nov.* 80. Et Purpuræ quidem Commercium interdictum omninò erat, quandoquidem ejus uſum Princeps ſibi ſuæque domui reſervaverat; Sericum vero ſub ea conditione, ne Romani & Barbari ſeu Perſæ inter ſe negotiarentur ſine Comite Commerciorum *l.* 2. *C. quæ res ven. non poſſ.* ac ita alieni Regni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

ſcrutarentur arcana *l.* 4. *C. de Commerc.* vel ne luxu creſcente Pecuniæ Romanorum paulatim ad Barbaros exportarentur. *Matth. de Crim. lib.* 47. *Tit. ult. c.* 5. Incidenter heic Q. an Leges Veſtiariæ pro ratione dignitatis conſtituendæ? Aff: quia veſtium varietas & cultus Corporis, eſt ſignum extrinſecum dignitatis, quæ his veluti inſignibus diſcerni ſolet, unde Iuſtinus veſtes vocat ornamenta dignitatis *lib.* 20. *c.* 4. iiſque matrona à viliore diſcernitur in *l.* 15. §. 15. *ff. de Inj. Add. L. Un. C. Null. lic. in fren.* atque ita in Conſtitutionibus Imperii Leges hæ veſtiariæ ſæpiùs repetitæ, ſemperque ſecundum varios dignitatum ordines ac gradus, genera veſtium diſtincta ſunt Vid. Rec. Imp. de *A.* 1577. *Tit.* 9. *& ſeqq. Add. l.* 49. §. 4. *ff. de Leg.* III. Eadem prohibitio etiam ſe extendit ad ſacrum Encauſtum; Erat autem encauſtum atramentum ſingulare, quo utebantur Impp. Vid. *Cæl. Rhodig. lib.* 7. *lect. antiq. c.* 31. *& l.* 6. *C. de diverſ. Reſcript.* ſimiliter frumentum exercitui tranſmittere vetat. *L. p. & f. C. Quæ res ven. non poſſ.* & in genere Res ſacræ, ſanctæ, Religioſæ ac Publicæ privatorum Commercio, eximuntur §. *f. I. de E. V. l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* §. 8. *I. de R. D.* Igitur qui contra has Regni Leges prohibitivas veniunt, mercesque vetitas advehere aut exportare conantur vel Commisſi vel aliam quamvis graviorem pœnam luere tenentur. *d. l.* 1. *&* 2. *C. quæ res ven. non poſſ. L. Cotem.* 11. *ff. de Publ. & Vectig.* Peregrini enim in loco aliquo verſantes, negotiantes & contrahentes, tanquam ſubditi temporarii, LL. iſtius loci ſubjiciuntur. *Grot. I. B. lib.* 2. *c.* 2. §. 5. (qui tamen, ſecum diſſentire videtur, quando in tr. de *Mari libero c.* 5. *p. m.* 22. negat exteros teneri legi prohibitivæ, de non piſcando in Mari, Principis prohibentis, territorio ſubjacente) *Loccen. de Jure Marit. lib.* 1. *c.* 10. §. 11. *Add. l.* 10. *C. de SS. Eccleſ. Gail. lib.* 2. *obſ.* 123.

VII. Quod ſi tamen populus Amicus, mercibus, apud nos prohibitis, per apertum mare, ditioni noſtræ ſubjectum, vel per territorium ipſum ad tertium pacatum tendat, vix puto probabilem poſſe inveniri prohibendi prætextum. *Puff. de I. N. lib.* 3. *cap.* 3. §. 6. quandoquidem Jus innoxii tranſitus unicuique Jure Naturæ competit, quod juxta ductum *Illuſtris ICti Henrici Cocceji in Prælect. Grot.* probo à medii neceſſitate. (1) Quia ſine quo non poteſt conſervari ſocietas humana, illud Jure Naturali eſt licitum; Natura enim vult ut ſit quædam ſocietas inter homines; atqui ſine Jure tranſeundi ſocietas humana conſervari nequit, (Occluſo enim

im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

& impedito aditu ad exteras Gentes, occluderentur Commercia, in quibus tamen Societas humana conſiſtit, Vid. ſuprà §. 2. E. Jus tranſeundi per viam publicam alterius territorii, licitum erit Jure Nat. (2) quia Jus tranſitûs eſt aliquod individuum, quod dividi ſeu diſtribui nequit, pari modo, uti in Jure Civ. Servitutes agendi eundi etſ. ſunt individuæ *l.* 17. *ff. de Serv. l.* 2. §. 1. *de V. O.* & prout äer manet communis, quoniam diſtribui nequit, ita & Jus utendi innoxio tranſitu, eſt ac manebit Commune. Unde patet, Principi quidem competere Jus in univerſum territorium, ſed tamen Jus eundi per viam Publicam, quoniam Commune eſt, in poteſtate Principis eſſe non poſſe Conf. *l.* 11. *C. de Servit.* quibus omnibus accedit (3) communis conſenſus plerarumque Gentium. Sed tamen hæc rurſus ita ſunt temperanda, ut ſemper Reipubl. cauſa potior habeatur, plurimæ enim poſſunt eſſe cauſæ, propter quas tranſitus meritò denegatur, præſertim ſi ille armata manu fiat. Ziegl. in Grot. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 13. Exercitui enim ſimpliciter tranſitum concedendum eſſe, meritò negat celebris ICtus *Strauchius de Imp. Mar. c.* 8. *n.* 2. Ziegl. *ad d. l. Grot. Felden. p.* 131. *Simon. p.* 166. nec ſufficere videntur à Grotio adductæ Cautiones; quippe quas facilius in Cathedrâ defendi, quàm in praxi obſervari poſſe & ſolere puto cum *Seld. de Mar. Cl. lib.* 1. *c.* 10. *Ziegl. Gronov. teſte Becmanno in not. Var. p.* 367. *Conf. Puff. lib.* 2. *c.* 3. §. 5. *& Dn. Feltman. in Diſſ. de tranſ. Exerc. quæ extat poſt Ejus tr. de Cadav. Inſpic.* Igitur ut redeam illuc unde diverti, ejuſmodi Merces, quas alter populus ad tertium pacatum transfert, etſi in noſtra Regione talibus mercari ſit prohibitum, tranſeundo tamen in Commiſſi pœnam incidere nequeunt *conf. l.* 6. *C. de Ædif. Priv. ibique Interp. Böer. deciſ.* 178. *n.* 12. *Peregr. de Iure Fiſci lib.* 6. *Tit.* 5. *n.* 31. Idem ſi ex cauſa alicujus neceſſitatis merces illicitæ transferantur arg. *l.* 5. *ff. de publ. & l. f.* §. *ſi propter neceſſitatem D. Eod.*

VIII. At ſi de facto Privati Exteros innoxio modo tranſeuntes, violaverint, an Princeps vel populus inde teneatur merito heic Q. Lubet pro hac qu: decidendâ afferre Exemplum quod refert. *A Iud. inter Gent. p.* 11. *Sect.* 5. Cùm, inquit ille, Rectores Belgii poteſtatem prædarum in mari ex hoſte agendarum per Codicillos plurimis dediſſent, & eorum nonnulli, res Promeranorum, qui Amici erant, rapuiſſent, deſertaque Patriâ mari vagarentur, Pomerani eo nomine contra Rectores queſti ſunt. Sed

 in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

in ea causâ Grotius conſuluit, eos in nihil amplius teneri, quàm ut noxios, ſi reperiri poſſent, dederent, præterea in bona Raptorum Jus reddi curarent, nam ut ſine culpâ ſuâ ex Miniſtrorum factis, quis teneatur, non eſſe Juris Gent. *Conf. Grot. lib.* 2. *c.* 21. Denique ad ea quæ dicta ſunt de Commiſſis inter S. poteſtates utrinque amicas, referri quoque poſſet crimen ſtellionatus maritimi, quod vernaculè *Lorrendrayen* vocant, quod καθ' ἐξοχὴν committunt illi, qui navigia inſtruunt armamentis, eaque mittunt, aut per agunt ipſi ad loca, ubi nemini fas eſt Commercium tractare, quàm cui publicè id permiſſum, & quò aliis faliaciæ ignaris, imponant, vel Gentis ſuæ, vel exteræ, ſignis ac apluſtribus utuntur, nonnunquam & falſum commeatum verſutiæ ſuæ prætendunt, de quibus prodiit nuper *Diſceptatio Forenſis Bened. de Prat.* qui vulgo creditur eſſe *Gerb. Feltm. Aſſeſſoris apud Friſ. Or. Graviſſimi* quò ne actum agam B. L. remitto add. *L.* 1. *C. de Nav. non excuſ. L.* 10. *C. de S. S. Eccleſ.* Huc etiam ſpectat ſolennis illa velorum demiſſio, das Segell-Streichen quæ fit vel ad ſalutationem, quando prætereuntes claſſem regiam vel caſtellum aliquod regium im Mittelmaſt die oberſte Flagge ein weinig Herunter laſſen und alſobald wieder aufziehen. Ejus exemplum vid. ap. Sleidan: lib. 22. vel in ſignum recognitionis Imperii & Dominii maris, wan das Top-Seegell Halb niedergelaſſen und nicht eher Wieder aufgezogem wird / bis man einen Canon-Schus weit in See iſt. Omittentes hanc ſubmiſſionem commiſſi pœnam incidere ſolent, quam tamen iniquam eſſe dicit *Ludov. Serv. in Plac. vol.* 2. *Placit.* 11. *Add. A. Jud. inter gent. P.* 11. *Sect.* 1. *Qu.* 14.

IX. Nec tantùm in Pacis ociique negotiis, ſed & in iis, quæ occaſione belli, inter Mortales contingunt, Commiſſorum Jura exaudiuntur; quo ſenſu inter arma Leges non ſilere, dixi in Præf. nam quod plerique militarium Jus ſuum ex utilitate metiuntur, cum, uti loquitur *Tacitus in Agricola. cap.* 9. *caſtrenſis Juriſdictio pro ipſis ſecura & obtuſior, plura manu agens calliditatem fori non exerceat.* Quâ ratione etiam Dux Mendoza *ſe Juris Quiritum inſcientem, militari agere malle* dixit ap. *Grot. Hiſt. lib.* 8. *pr.* Certè id non magis Jus eſt, quàm mel amarum, aut cuncta res coloris flavi, quòd Febre & ictero laboranti talis eſſe videatur *Dn. Feltman. Spicil. ad* §. 11. *J. de I. N. G. C. n.* 15. Conſtat etiam bellum ſuis Juſtitiæ æquitatiſ-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

que finibus, quos ultra citraque nequit conſiſtere. Caveant E. belli duces, ne vel in Pugnâ gravem cædem, vel in victoriâ cruentam exigant ultionem, agitur enim ibi de vitâ ac fortunis hominum, quod Deo eſt cariſſimum animal. *Multos occidere & indiſcretos*, inquit Seneca, *incendii & ruinæ Potentia eſt L. 2. de Clem.* Certum autem eſt in moralibus ea, quæ ad finem tendunt, æſtimationem intrinſecam accipere ab ipſo fine, quare quæ ad finem Juris conſequendi ſunt neceſſaria, ad ea moraliter jus habere intelligimur *Grot. Lib. 3. Cap. 1. th. 2.* & cui licet id quod plus eſt, licere etiam id, quod eſt minus, axioma eſt Logicorum, unde argumentatur *Cic. 3. Off. quem occidere licet eum nec ſpoliare nefas erit.* Ex quibus generaliter ita dictis conſtabit, quantum in hoſtem liceat naturaliter. Sed & quæſtio incidere ſolet, quantum liceat in eos, qui hoſtes quidem non ſunt, ſed tamen hoſti res aliquas ſubminiſtrant. Certum autem eſt, Belli Legibus, non ſolum licere munitiones hoſtium, urbes, viros, naves fructus aliaque quæ ad hoſtem pertinent, præripere, ut quantum fieri poteſt, vires eorum atterantur, ſed & eos qui hoſtem commeatu aut armis juvare conantur, intercipere licebit, quandoquidem inſtruendo hoſtem vires ejus adaugent, & ita finem belli noſtri, qui eſt ultima Victoria, intervertunt, imò ipſi in hoſtium ſunt numero, quandoquidem juxta *L. 28. C. de Inoffic. Teſt.* Amicus inimici mei meus quoque cenſetur inimicus add. *L. 1. §. 10. ff. de Offic. Præf. urb. L. 3. ff. de Teſtib.* Certè ſi in hoſtium numero ſunt, qui Publico Civitatis conſilio auxilia hoſti ſubminiſtrant, utique ſingulis non licebit, quod toti Civitati non licet *Anton. Matth. de Crim. Tit. de Læſa Maj. c. 5. n. 13.*

De hac tamen quæſtione, & olim & nuper acriter certatum eſſe dicit *Grot. Lib. 3. cap. 1.* non tam chartis quàm lacertis, non tam argumentis quàm armamentis, ut loquitur *Marqu.* aliis belli rigorem, aliis commerciorum libertatem defendentibus. Mihi heic omnia quæ eam in rem faciunt, expendere non licet, adeat cui volupe eſt librum Italico idiomate *Conſulato del mare* inſcriptum & Venetiis excuſum *An.* 1599. qui à *Rulando de Comm. P. 4. lib. 2. cap. 11. in I. & H. Grot. de Jure B. lib. 3. cap. 1. in not. §. 5.* inter præcipuos de hac quæſtione tractantes Autores refertur. Sed tamen ne vadimonium heic deſerere velle videar, ea, quæ per temporis anguſtiam & loci opportunitatem ex Grot. Marqu. aliiſque eam in rem colligere potui, heic in pauca contraham.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

X. „Status autem controverſiæ in eo præcipuè vertitur, „an Princeps tempore belli Mercatoribus extraneis omni com-„mercio cum hoſte poſſit interdicere, hoc effectu, ut contra-„venientes, ſecuritate & favore commerciis alias competente „priventur, illorumque naves & merces in Commiſſum in-„cidant?

Diſputatum ea de re fuit in Belgio, quando exorto cum Hiſpanis bello, Hollandis Zelandiſque omnes naves, quotquot in Italiam vela direxerant, deprædantibus, Angli ſe opoſuere, oggerentes, ſibi, tanquam neutrarum Partium addictis, non poſſe adimi liberum negociandi Commercium; Fœderati contra regeſſerunt, Jure Gent. ſe uti, neque neutrarum eſſe partium, qui hoſtem commetu aliiſque rebus neceſſariis adjuvant. *Rheidan. hiſt. lib.* 1. Pro illis ſtabat receptus Commerciorum favor, & quod culpæ annumeretur πολυπραγμοσύνη ſeu φιλομαθεία ἀλλοτρίων juxta *L.* 36. *de R. J.* quam tamen evitare non poteraut, ſi vel continuatione, vel Ceſſatione Commerciorum, uni parti adhærere tenerentur. Pro his verò receptum Jus Gent. & quod ſapientis ſit, propria commoda anteponere utilitatibus aliorum, conf. Joh. Meurſius in *hiſt. Dan. lib.* 1. *&* 2. ubi videbis Lubecenſes & Imperatorem eſſe pro Commerciis, contra ea Danos.

XI. Quoniam verò totum hoc negotium ancipiti Marte diſputari ſolet, nec quicquam eâ de re in Jure Gent. Voluntario ſe reperire potuiſſe, dicit *Grot. d. lib.* 3. *c.* 1. §. 5. operæ pretium erit, accuratius illud indagare.

Et primo quidem cum *Marqu.* diſtinguendum puto, inter hoſtes cum quibus bellum geritur, & 2. inter res ipſas. Si illi ſunt Barbari, ut puta Turcæ, Saraceni, & alia quævis Gens Barbara, cum qua neque amicitia, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ, factum eſt. *L.* 5. §. 2. *ff. de Captiv. & Poſtlim. Rev.* ſecundum rationem Iuris Civ. hoc Commercio abſtinere tenemur, ex autoritate *L.* 2. *C. quæ res export. non deb.* Perniciosum namque eſt & proditioni proximum, Barbaros, quos indigere convenit, ut validiores teddantur, inſtruere Add. *Cap.* 6. 11. 12. 17. *X. de Judæ. Alb. Gent. Advoc. Hiſp. cap.* 20. *&* 28. *Nic. Boer. deciſ.* 178. *n.* 18. *& ſeqq.* Vix tamen eſt, quod hæc Conſtitutio fines Romani Imperii excedat, quandoquidem natura omnes homines æquales fecit, eique maxime conveniens eſt, amicitias contiahere & conſervare quod

me-

meliori modo, quàm per Commercia fieri non poſſe, conſtat; Accedit & Regula certiſſima Iuris gent. in *L. 5. de J. & I.* quæ generaliter conſtituit Commercia, nec diſtinguit aliquid de gentibus, quâ occaſione, quæſtio moveri ſolet, an fœdus iniri poſſit cum Hoſtibus Chriſtiani nominis, etiam ad deſtruendos populos Chriſtianos? quam prolixe examinat *Grot. lib. 2. c. 15. §. 8. & ſeq.* Res huc redit, quod tale fœdus ex Rigore Juris ſit licitum, quanquam valde odioſum & illaudabile eſſe, negari nequeat; Ex quo capite rectè improbata ſunt Gallorum fœdera cum Turcis, de quibus prolixe *Hennig. ad d. l. Grot. §. 11. n. 3.* & egregia piáque vox fuit Fulconis Archiepiſcopi Remenſis, Carolum ſimplicem ſic admonentis. *Quis non expaveſcat vos Inimicorum Dei amicitiam velle, & in cladem ac ruinam nominis Chriſtiani Pagana arma & fœdera ſuſcipere deteſtanda?* quam ex *Frod. Hiſt. Remenſ. lib. 4. c. 6.* ibid. refert Grotius. Igitur ex ratione Juris Romani, qui cum Barbaris Commercium privata auctoritate exercet, ejus bona indiſtinctè fiſco addicuntur, quæ tamen pœna, ut dictum, fundamentum non habet in Jure Naturali & Gentium, aliena etiam eſt à moribus Mercatorum, quibus perinde eſſe ſolet cum quibus commerciorum lucra exerceant

Tros Rutilusve illis, nullo diſcrimine habetur.

XII. Quòd ſi autem hoſtes ſint alii quàm Barbari, puta tales, quibus publicè bellum Summa poteſtas decrevit, conf. *l. 24. ff. de Captiv. & Poſtl. Rev.* & quæratur an neutris partibus addicto cum iis contrahere liceat? Certè ex ratione Juris Nat. & Gent. ſecundum ea quæ ſuprà de Jure Tranſitus propoſita ſunt, videtur omninò licere, modò non directò in alterius detrimentum contrahatur. Nec enim hoſtilitas quæ Principi cum hoſte ſuo intercedit, efficere poteſt, ut tertius quoque illum pro hoſte habere, & Communia Gentium Jura abrumpere teneatur, quandoquidem inimicitiis tuis Jus meum, commercia liberè cum Vicinis exercendi, minui non poteſt. Sic durante inter Batavos & Anglos Bello, Chriſtina Sueciæ Regina, cùm mediam aliàs ſe gereret, fas tamen ſibi eſſe credidit concedere, ut Batavi tormenta bellica ad inſtruendam claſſem ſuam, mercarentur *Puffend. Rer. Suec. l. 25. §. 14. Add. Textor. Synopſ. Jur. Gent. c. 26. §. 27. ſeq.* Interim ſi talium mercium transvectio moleſta alteri Principi videatur, quandoquidem ipſi licita eſt in bello ſuo defenſio, & per conſequens, omne id, ſine quo Jus ſuum defendere nequit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

tranſitum earum impedire poterit. Defenſionis enim expediendæ Jus per ſe & primariò naſcitur ex eo, quòd natura quemque ſibi commendat, non ex injuſtititâ aut peccato alterius, unde etiam adverſus eum qui peccato caret, inſtitui poteſt *Grot. lib.* 2. *c.* 1. §. 13. Apertè huc quoque provocat Eliſabetha Angliæ Regina quando Legato Polonico Commercia cum Hiſpanis à Reginâ interdicta querenti, reſpondit: *nihil eſſe tam congruum naturæ hominum, moribuſque, quàm periculum propulſare, quare haud paſſurum ſapientem, ulla ope eum Iuvari, qui ſuo exitio imminet*, *Grot. Hiſt. Belg. lib.* 6. Idem Jus Batavi urgent ap. *Puff. Rer. Suec. l.* 25. §. 29. Add. *Ioh. Strauch. Diſſ. de Imp. Mar. c.* 8. §. 3.

XIII. Cùm verò ex defenſione ſaltem hoc Jus interdicendi Commercia oriatur, defenſio autem ad innoxia ſe extendere nequeat, meritò recepta heic eſt diſtiuctio Mercium, quam & probat Grot. *d. lib.* 3. *c.* 1. Aut enim (1) merces advectæ in bello uſum habent, hoſtemque inſigniter juvare poſſunt, ut ſunt arma etſ. hujus generis, aut (2) nullum in bello habent uſum, ut quæ voluptati inſerviunt, aut (3) in bello & extra bellum uſum habent, ut Pecuniæ, annona, naves & quæ navibus adeſſe ſolent cannabis, pix., lignum, ferrum. Priori caſu in diſtinctè mercatores ſecuritate Commerciorum frui non poſſunt, quandoquidem, ut Amalaſuintha dicebat apud Juſtinum, in hoſtium eſt partibus, qui hoſti ad bellum neceſſaria adminiſtrat, & prudenter Eliſabetha Angliæ Regina, certis quibusdam Mercatoribus conquerentibus ſpoliatas à claſſe Anglicâ naves, contra pacta, quibus cautum, ut Civitatibus Hanſeaticis liceret amicos eſſe hoſtibus Angliæ, reſpondit: non eſſe hoc, cum utriſque colere amicitiam, ſi alteros lædas, juves alteros *Iac. Aug. Thuan. lib.* 96. *Hiſt. Alber. Gent. de I. B. l.* 2. *c.* 22. nec incongruè hoc confirmatur *per c.* 10. *C.* 14. *Quæſt.* 5. ubi Pontifex: *Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvare.* Imò de Jure Rom. tali modo hoſtem juvantes, læſæ Majeſtatis crimen incurrunt *l.* 1. *ff. ad L. Iul. Maj.* Vocantur a. ejuſmodi merces vulgò **wahren von Contrabande** voce, ut videtur, Italicâ, à bando i. e. Edictum *Schoenborn. Pol.* 4. *c.* 27. *C. I. A. Tit. de Publ.* θ. 13. quo ſenſu comprehendit in genere merces Edicto negotiari vetitas.

XIV. Cœterùm, cùm facilè ,. quænam merces contrabandarum nomine venire debeant, ambigi poſſit, edicta ſolent publi-

blicari, quibus id determinatur, cujus ſpecies exſtant in Tractatu Maritimo inter Regem Galliæ & Unitas Belgii Provincias de Ao. 1646. & 1650. Similiter in Privilegiis Hiſpano- & Gallo-Hanſeaticis, Danicis & Belgicis Edictis, quæ omnia refert *Marq. poſt ſæp. cit. tr. ſub lit. B. C. V. W.* Nec, iterum hic deficit provida noſtra Jurisprudentia Romana, quippe quæ in præmunimentum, omninò Privatis armorum Commercium interdicit in Nov. 85. *de Armis l. un. C. ut. arm. uſus, inſc. Princip. privatis interdict. ſit lib.* 11. *Tit.* 46. Imò & cotem ferro ſubigendo neceſſariam, nec non ferrum, frumentum ac ſalia, ſub pœna Capitis ad hoſtem transferre vetat in *l.* 11. *ff. de Publ.* cujus quidem Legis arg. ſi tormenta bellica in Edicto ſint comprehenſa, etiam pulverem nitratum, & ſub pulvere nitrato etiam ſulphur ex quo pulvis conficitur, comprehendi puto, uti ſub prohibitione armorum ac navium, lignum quoque ac ferrum, ex quibus naves conficiuntur, veniunt. *arg. l.* 2. *C. quæ res export. non deb. Guid. Pap. deciſ.* 373. Quandoquidem, ubi eſt eadem ratio prohibitionis materiæ & ſpeciei, idem etiam Jus obtinere debet *l.* 32. *ff. ad l. Aquil. l. f. ff. ad leg. Falcid.* Maximè ad præcavendas fraudes. Unde SCtum Maced. quod prohibet pecuniam filiofam. Mutuo dari, extenditur ad res alias ex quibus confici poteſt pecunia, cùm Contractus fraudem ſapiat *l.* 7. §. 3. *ff. ad SCt. Maced. A. Jud. int. Gent. Part.* 2. *Sect.* 8. *n.* 8.

XV. Sed & ambigi ſolet, an cùm prohibetur quid deferri ad hoſtes, ſi rei prohibitæ acceſſorium deferatur, in *Commiſſum* illud incidat? Non videtur ex ratione Juris Civ. ubi id tantùm in *Commiſſum* cadit, quod proprio nomine incidit *l. ult.* §. 2. *ff. de Publ.* quibus conſequens eſt, curru incidente in commiſſum, equos non publicari. Sed tamen contrarium in Edictis Belgarum receptum eſſe tradit *Ant. Matth. de Auct. lib.* 2. *c.* 7. & ſimiliter in vaginis ad hoſtem delatis in Bello Cæſareo-Gallico ex *Petrino Bello de Re mil. p.* 4. refert *A. Iud. int. G.* ex ratione, quod vaginis quoque hoſtis ad rem Bellicam fiat inſtructior, non ſecus, ac navi in commiſſum incidente, ſcapha quoque committitur, quoniam hodie inſtructæ navis appellatione continetur ſcapha conf. *l.* 12. §. 27. *D. de Inſtr. vel Inſtr. Leg.* & Cujac. ad *l.* 242. *de V. S.* Sed & in dicto caſu, mercatorem qui cùm aliis mercibus licitis, vaginas deferebat non tantùm vaginis, ſed & reliquis mercibus privatum fuiſſe, refert cit. Petrinus Bellus. Unde quæſitum eſt, an licitum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

propter illicitum cadat in Commiſſum? Si Jus Civile ſpectes utrumque in Commiſſum cadere videtur, per text. expreſſum in *l.* 11. §. 2. *ff. de Publ. l.* 3. *C. de Naut. Fœn.* Sed hæc ſententia durior viſa eſt Interpp. ideo plerique contrariam, tanquam humaniorem probant. *Cyn. Bald. Salicet. ad d. l.* 3. *C. de Naut. Fœn. Alb. Gent Advoc. Hiſp. lib.* 1. *cap.* 20. *Chriſtin. vol.* 3. *decis. Cur. Belg.* 101. 215. *Peregr. de Iure Fiſc. lib.* 6. *Tit.* 5. *n.* 30. *alique vide Ant. Matth. de Auct. d. c. n.* 6. Præterea ex ratione *d. l.* 11. diſtinguendum videtur, an Dominus ipſe merces illicitas hoſti transportandas impoſuerit aut ſaltem in impoſitionem conſenſerit, an verò abſente Domino, à nautâ vel alio quovis id factum ſit. Priori caſu & navis & merces in commiſſum cadunt: poſteriori, delinquentes puniuntur commiſſis mercibus; navis autem Domino reſtituitur; quandoquidem ſeparatorum ſeparata eſt natura *Bald. in d. l.* 3. *C. de Nat. Fœn.* & irrationabile eſt, alteri per alterum iniquam conditionem inferri *l.* 74. *de R. I.* Unde patet, quid ſentiendum ſit de illa Galliæ conſuetudine, quâ ex rebus naves, ex navibus res prædæ ſubjiciuntur, à ſcavoir que la robbe de l'ennemy confiſque celle de l'Amy, vigore Edicti Franciſci I. de Ao. 1543. Caroli IX. de Ao. 1569. & Henrici III. Regum Galliæ de Ao. 1584. præterquam enim, quod contraria illa ſit libertati commerciorum ex Jure Gent. prognatæ *l.* 5. *de I. & I.* confundit inſuper Hoſtium & Amicorum jura, imò anſam præbet malitiis & fraudibus, cùm facilè mercibus licitis, illicitæ dolo alterius, miſeri poſſint. Nec obſt. quòd in *Conſ. Mar. c.* 273. dicitur Hoſtiles res cenſeri res in hoſtium navibus repertas, illud enim non ita accipi debet, quaſi certa ſit Juris Gent. Regula, ſed ut præſumtionem quandam inducat, quæ tamen validis in Contrarium probationibus poſſit elidi *Grot. de J. B. lib.* 3. *c.* 6. §. 6. Igitur ſi contrarium probetur, in Commiſſum tales Res cadere nequeunt, etſi apud hoſtes inventæ, ut probat *Id. Grot. d. l.* atque ita in Hollandia an. 1338. flagrante cum Hanſeaticis bello, frequenti Senatu judicatum & ex judicato in Legem tranſiſſe, refert. Quid moribus Belgarum circa hanc, quæſtionem maximè in commiſſis reſpectu vectigalium obtineat, Vid. Matth. de *Auct. cit. l. n.* 9. *& ſeq.* Ex dictis quoque ſequitur, æquiorem eſſe ſententiam eorum, qui amicorum naves, Inimicorum bona deferentes, prædæ cedi negant, ablatisque tantum mercibus (niſi prohibitas detulerint) dimitti eas debere, contendunt. Ita in Conſul. Maris cautum, ut qui in

Ami-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Amicorum navi bona hoſtium deprehendit, cogere quidem poſſit nautam, ut merces eas in portum aliquem deferat, qui ſit ſuarum partium, ſed tamen ita ut vecturæ pretium nautæ ſolvat Vid. *Grot. in not. ad lib.* 3. *cap.* 1.

XVI. Denique, circa has contrabandæ merces, quæſtio moveri poſſet, utrum bona prohibita, deprehenſa in itinere ad locum hoſtilem, pro commiſſis haberi aut capi poſſint? Negativè eam decidit. *A. Jud. int. G. P.* 11. *ſect.* 8. *qu.* 10. quoniam redire poterat Mercator, & pœnitere ut Cynus docet *in l.* 3. *C. de Comm.* Negat etiam *Iaſon. l.* 2. *in f. de Iurisd.* eumque ſecutus Sanxonius aliique citati ab *Ant. Matth. de Auct. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 22. hoc argumento, quod verba cum effectu ſint intelligenda, *l.* 5. §. 2. *ff. ne quis eum qui in Ius voc.* præſertim in Edicto pœnali, ubi verbum exportaverit de actu conſummato non inchoato intelligi debet, verùm hanc ſententiam neque rationi, neque Juri conſentaneam eſſe probat *Id. Ant. Matth.* ex ratione, quod ille jam contra Edictum exportaverit, qui exportare cœpit, etſi illuc, quò deſtinaverat, nondum pervenit, non ſecus, ac fur quaſi perfecto ſcelere punitur, qui in itinere cum Re furtivâ deprehenſus eſt, antequam eam pertuliſſet quò deſtinabat *l.* 3. §. 2. *& ſeq. de Furt.* §. *Manifeſtus I. de Obl. quæ ex Del. naſc.* conſtat autem eum qui res prohibitas ad hoſtem defert, furtum facere, dum Vectigalia fraudat, & præterea juvando hoſtem perduellionis Crimen contrahere *l.* 1. *ff. ad L. Iul. Maj.* in quo conatum eadem pœnâ puniendum eſſe, quo conſummatum crimen, probat *l.* 5. *C. ad L. Iul. Maj. Add. Ant. Matth. ad L. Iul. Maj. c. ult. n.* 17. *Nicol. Böer. deciſ.* 178. *& Grot. d. cap.* 1. §. 5. qui hoc caſu ſi damnum nondum dederit, ſed dare voluerit, Mercatorem rerum retentione cogi poſſe ſtatuit, ut de futuro caveat, datis obſidibus, pignoribus aut alio modo. Hac occaſione etiam quæri poſſet, an ad militiam hoſtium proficiſcentes tanquam hoſtes tractare liceat? Negat id *Gentil. Ad voc. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 9. quòd pro hoſtibus habendi non ſint, qui in hoſtium numeros nondum ſunt relati, & quòd in odioſis cœptum pro completo non habeatur. Rectius in caſu ſimili decidit Trajanus Imp. de duobus ſervis, qui inter Tyrones deprehenſi erant, nec tamen adhuc in numeros diſtributi, quibus pœnam Juris infligendam cenſuit, quòd dies, quo probati ſunt, veritatem originis ab ipſis exegit ap. *Plin. Ep. lib.* 10. *Ep.* 38. 39. Cæterùm pro vindicandis hiſce Edictis & manutenendis ut vulgò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

loquuntur, recepta eſt inter Gentes Jure Gent. moderno *confiſcatio* ſeu, ut dici ſolet die Commiſſ-fahrt der Octroyrten Freibeüter oder Caper / eum in finem introducta, ne hoſtis Commeatu vel cæteris neceſſariis juvetur, non ut ab innoxio Commercio Vicini Amici arceantur. conf. *ſæp. cit. Marq. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *Add. ſuprà th.* 9. quanquam, quod dolendum, cupiditas quævis rapiendi & auri ſacra fames, deteriorem hac in parte Praxin Gentibus perſuaſerit.

XVII. Hactenus de Rebus quæ uſum in bello habent, hoſtemque validiorem reddunt, quod attinet eas, quæ nihil ad belli progreſſum faciunt, vid. ſupr. §. 13. ſi illis Extraneus mercator cum hoſte negotietur, impediri eum non poſſe ſalva naturali Commerciorum libertate, *cum Zuar. Conſ.* 2. *de Nav. Tranſveh. & export. n.* 3. *Grot. d. Cap.* 1. §. 5. aliisque exiſtimo; quandoquidem ea ſunt talia, quæ hoſti ſubminiſtrari ſine pernicie publicâ poſſunt. Hic non incongruè Qu. an Herba Nicotiana inter Merces contrabandæ referenda ſit, aut verò voluptati tantùm inſerviat, & qui vulgò circumfertur ejus uſus, ad terendum tantùm tempus faciat? Diſceptatum eâ de re fuit tempore belli Hiſpano Belgici, Anglis navem dictâ herbâ onuſtam, ad Portum Belgicum deſtinantibus, quæ ab Hiſpanis intercepta, ac confiſcata fuit, per ſententiam latam in Tribunali Maritimo Hiſpaniæ, de quâ, cùm apud Regem ſuum Angli, tunc temporis Hiſpanorum Amici, quererentur, ille Repreſſaliarum literas conceſſit *Vid. Commiſſ. & Proc. in Cur. Adm. Angliæ.* Ego heic ſtandum eſſe puto teſtimoniis Medicorum tanquam artificibus in ſuâ arte, qui ſi apertè evicerint, Herbam Nicotianam nutrire, vel ſaltem ad vitæ ſuſtentationem conducere, ſummo Jure ejusmodi navis, juxta traditos tamen ſuprà *th.* 12. Juris defenſivi limites, intercipi poterit; Ita autem hanc in rem *Vir Experientiſſ. Michaël ErtMüllerus in Phytologia Schrôd. diluc. n.* 69. „Suffitus, inquit, Nicotianæ pro„hibet famem ex duplici fundamento, tum quia inducit ſtupo„rem orificio ventriculi, tum quia ſal volatile oleoſum hujus „herbæ, temperat ſalinum fermentum, quo temperato, ceſſat ſtimulus, famis origo; quanquam in dicto caſu contraria fuerint Medicorum teſtimonia, qui herbam Nicotianam non nutrire confirmarunt; id quod ſæpius & olim & nunc ſcientiæ Medicæ accidit, quando poſteri ſe rerum Inventores jactârunt, quas majores ipſorum ignoraverint, ipſi fortè à ſuis poſteris aliquando deridendi.

XVIII. Ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

XVIII. Tertium genus mercium quod attinet, puta earum quæ ancipitis ſunt uſus, receptum eſt inter Gentes, ut æquè ac aliæ merces quæ uſum in bello habent, in Commiſſum cadant, vel ſaltem intercipi posſint, quandoquidem haud parum de hoſtili actione participat, qui ſubminiſtrat ea, ſine quibus bellum trahi nequit, & per quæ audacior fit hoſtis. Præterea necesſitas hîc Jus facit, uti loquitur Grot. quoniam, ut ſupra traditum, pro defenſione Juris noſtri, omne id licitum eſt, ſine quo defenſio legitimè inſtitui nequit, nec movet, quòd neutri parti alter ſit addictus, is enim neuter eſt, qui neutrum juvat. Perinde autem eſt, an rebus quæ expreſsè uſum in Bello habent, an verò talibus quæ ambigui ſunt uſus, hoſti ſuccurras, cùm tam his, quàm illis, hoſtis fiat inſtructior, ejuſque vis ac potentia adaugeatur, quod ad juſtitiam interceptionis ſufficit. Sed & heîc cum *Caſp. Ziegl. ad d. l. Grot. diſting.* puto, an ſubminiſtratio illa facta ſit à Privatis nomine privato, an vero nomine publico, & à Principe utriſque amico, ita, ut illo caſu, excuſatius delinquatur, quia non tam hoſtilis animus, quàm lucri cupiditas præſumitur, (niſi Magiſtratus ſciverit, & cùm prohibendi facultatem habuit, non prohibuerit) hoc verò caſu non ſine aliqua hoſtilitate geri res poterit. Igitur ſi v. g. navis commeatu inſtructa in itinere ad hoſtem reperiatur, tranſitus ejus impediri poterit, non autem ipſam navem capere licebit, quandoquidem Jus intercipiendi ſe fundat in Jure impediendi, ne hoſtis commeatu juvetur. Sed & capi poſſe navem, manifeſtum eſt, ſi ſine capturâ advectio impediri nequeat. Quod quidem durum primâ fronte videtur, maximè ſi perverſos hac in parte ſeculi mores reſpicias, quibus mercatores aliquando captivi detinentur, illorum naves angariantur & in genere miſerè ipſis mercatoribus illuditur. de quib. vid. querentem *Marqu. lib.* 1. *cap.* 16. *in f.* ſed tamen hanc duritiem relevant denunciationes atque interminationes, quæ præcedere ſolent manus injectionem, quibus ſi exteri non paruerint, ſibi imputent, qui cum exitio aliorum negotiari non erubuerint *Wiſſ. ad Tit. C. quæ res export. non deb.* De quibus quidem publicis ſignificationibus, ut &, an ita Merces has intercipere liceat, ut nulla hinc vectoribus maximè amicis debeatur reſtitutio? *Vid. Grot. dict. lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. *in not.* ubi valde cautè & timidè procedit, nec nimius erit, qui cum eo facit. Plura vide ap. *Marqu. ſæp. cit. tr. lib.* 1. *c.* 16. *in f.*

Jus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

XIX. Jus Civile quod attinet, illud merces has medii generis, ut ſunt frumenta vina, olea etc: ad hoſtes exportari omninò vetat in *L. 1. C. Quæ res expert. non deb. junct. L. 11. ff. de Public.* etiam guſtationis cauſa, ne illecti earum ſpecierum dulcedine barbari, invadendi Orbis Romani conſilia ſumant Wiſſ. ad d. T. C. Unicum heic reſtat examinandum, an ſc: qnando Edictum vel ſtatutum prohibet exportari frumentum, eo ipſo etiam prohibeat farinam & legumina? Quod ipſum *aff. Ant. Matth. ad L. Jul. Maj. c. ult. n. 16. Guid Pap. quæſt. 373. Menoch. 2. de Arb. c. 585. n.* 6. ne fraus Legi ſiat frumento antea ad molam delato, quam ſententiam & ego heic amplector; Quanquam aliàs regulariter ſub frumento & frugibus farina aut Legumina non contineantur *L. Frugem 77. D. v. S. L. 3. §. 6. ff. de pen. ieg.* Tantum de Commiſſis in Mercibus Coutrabandæ.

CAP. IV.

De Commiſſis in Vectigalibus.

Porrò Commiſſorum Jura, quatenus à Lege dependent, ad Vectigalia ſe quoque extendunt, de quibus ita Quintil. *Quod quis profeſſus non eſt apud publicanos, pro Commiſſo tenetur Declam.* 241. ratio locutionis tradita eſt *cap.* 1. addi poſſet & illa, quam Cujac. probat, quòd, cum *committere* ſit idem quod *delinquere*, in Legem Cenſoriam, quæ locatione Vectigalium Portitoribus indicitur, *Committat.* i. e. *delinquat*, is, qui profeſſionem omiſit & vectigal fraudavit; ſed quandoquidem *d. c.* 1. à Commiſſis delicta expreſsè ſeparavi, nec eouſque Diſſertationis hujus terminos extendere volui, ne contraria dixiſſe videar, quâ ratione *Commiſſum* delicti aut Criminis nomine venire poſſit, paucis heic exanimabo. Igitur conſtat, in Commiſſum incidere merces, quoties per transvectionem illicitarum ſpecierum vel profeſſionis omiſſionem, Lex aut vectigal. fraudatur *L. 1. & 2. C. quæ res exp. non deb. L. 11. ff. de publ. L. ult. §. 1. & 2. Eod.* Fraus autem illa dupliciter contingit, vel re ipſa, vel conſilio & dolo malo, utroque caſu vectigal fraudans, in commiſſi pœnam incidit, ne magno illo onere probandi animum fraudandi, gravetur fiſcus, quippe quod per difficile, & plerumque impoſſibile foret. Sed tamen delictum fraudati vectigalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

ctigalis dici nequit, niſi ſimul dolus ac animus fraudandi adfuerit *L.* 1. 5. *C. ad L. Corn. de Sic. L.* 31. *ff. ad L. Aquil.* Atque hoc ſenſu Crimen vocatur Commiſſum à Papiniano in *L.* 8. *de publ.* itemque ab Ulp. in *L.* 14. *verb. qui crimen contraxit. Eod.* & quominus de moribus modicum delictum dici poſſit fraus Publicanis facta, neceſſitas temporum & ærarii penuria effecit. Matth. de *Auct. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 31.

II. Utraque autem Commiſſa, tam ea, quæ ex tranſportatione mercium illicitarum, quàm quæ ex fraudato vectigali oriuntur, fiſcus ſibi vindicat *L. ult.* §. 1. *&* 3. *ff. de Publ.* Sed & Mancipibus i. e. Publicanis ea addicit *L.* 11. *C. de Vectig.* cum tamen arca Publicani fiſcus non ſit *Wiſ. ad d. l.* Scilicet Publicani ſuccedunt in locum fiſci, qui pro incerto proventu vectigalium certa conductionis mercede contentus eſt, quod & ita moribus obſervari, dicit *Matth. de Auct. C.* 4. *n.* 14. *& ſeq.* ita tamen, ut vigore Edicti Gen. Ord. pœna dividatur in quadrantes, quorum primus Pauperibus, ſecundus Prætori, tertius Publicanis, quartus delatori adjudicatur, niſi Edicto Particulari ſeu Lege locationis aliter cautum fuerit *Guid. Pap. dec.* 413. *Peregr. de J. Fiſc. Lib.* 6. *Tit.* 5. *n.* 37. ubi hoc eò extendit, ut etiam aliæ pœnæ indictæ extra pœnam commiſſi, pertineant ad Conductores & firmarios, niſi aliter cautum, aut conſuetudo aliter ferat, adductis eam in rem longâ ſerie DD. Teſtimoniis.

Quanquam quæ cap. præced. tradita ſunt Commiſſorum emolumenta, non ad Publicanos ſpectare, ſed prout vel Jure belli aut alio modo acquiruntur, ad eum cujus nomine bellum geritur, vel certè eorum diſquiſitio ad judicium Admiralitatis: ut vulgo dicitur pertinere videtur *Conf. Marquard.* de *J. Merc. lib.* 2. *C.* 4. *n.* 40. Sed de his cap. præced. pro inſtituti ratione abunde actum.

III. Igitur hoc loco Commiſſa ſunt, quæ ob Vectigalium defraudationem deſinunt eſſe prioris Domini, & fiſco acquiruntur *L.* 14. *ff. h.* Adeò ut, ſi Jus Civile ſpectes, nec ſententiâ Judicis Declaratoriâ opus ſit, ſed ipſo jure incidiſſe cenſeantur *d. l.* 14. perinde, ut quæ in Legis ſanctionem incidunt, ipſo Jure nulla cenſentur, ſecundum ea, quæ ſuprà ex *L.* 5. *C. de LL. in cap.* 1. diſputata ſunt. Quanquam ad Privationem Poſſeſſionis, ſententiam judicis comm. requirant *DD. Bart. in d. l.* 14. *Bertach. in tr. de Gabell. in* 9. *part. princ. n.* 6. qui extat *in Tr. Tr. Tom.* XII.

quan-

quandoquidem ut ex *Grammat.* refert *Gail.* 2. *obſ.* 51. *n.* 6. Omnia mundi jura diſponentia pro aliquo Crimine ipſo jure pœnam imponi, intelligenda ſunt, dummodo ſequatur ſententia, quæ declaret illud Crimen fuiſſe commiſſum; Atque adeò ad privationem Dominii ſufficit Legis ſanctio, ſed ut auferatur Poſſeſſio, judicis ſententia accedat, oportet. Add. *Mynſ.* 5. *Obſ.* 29. *n.* 7. *Hartm.* 8. *Obſ.* 1. *n.* 22. ubi tamen Poſſeſſionem propria auctoritate à fiſco occupari poſſe tradit; ſed hoc ad mores reprobatos pertinere notavit *Magnif. Dn. Stryk in Colleg. Priv. ad Comp. Laut.* cum nulla adſit ratio, cur non hodie juſta excuſationis cauſa ſit attendenda. Et quandoquidem ob omiſſionem ſoluti Vectigalis commiſſa introducta eſſe dixi, pulchra hoc loco de juſtitiâ exigendorum vectigalium, eorumque conſtitutione, differendi eſſet materia, ſed cum inſtituti ratio illud hac vice non permittat, ſufficiet remiſiſſe B. L. ad *Grot. de Jur. B. lib.* 2. *C.* 2. §. 14. *Ampl. Huber. de J. Civ. lib.* 3. *cap.* 7. *Georg. Bech. de Secur. & Salv. Cond. Klockium. de ærario & Fritſch. de J. Reg. Viar. Jur.* ubi fuſius hæc tractata videbit. Cætera, objecto meo inhærebo, & principaliter quidem, quænam res in Commiſſum incidant, ad quas Perſonas Commiſſi pœna ſe extendat, & demum quæ inde oriantur actiones, quâ potero brevitate in ſeqq. ediſſeram.

IV. In Commiſſum itaque cadunt res ejus, qui vectigal fraudavit *L.* 8. *pr. d. t.* dum ſive munes celavit, ſive immunes profeſſus non eſt *L.* 16. §. 3. & §. 9. *h. t. ibi. in ſola profesſione L.* 3. *C. Eod. Cujac.* 24. *Obſ.* 3. nam ad Commiſſi pœnam ſufficit omiſſa profeſſio *L.* 16. §. 5. *d t.* & non facta intimatio per ſchedulas immunitatis quas Pas-brieven / Freyzettels / Zoll-zettels vocant; *Koppen deciſ.* 51. *n.* 13. *Marq. d. l.* 2. *c.* 4. *n.* 45. quæ ſi ſcienter & dolo malo omiſſa ſit, certum eſt totam rem in Commiſſum cadere, cum dolus nemini patrocinari debeat, ſed ſi juſto errore lapſus profeſſionem omiſerit, Divi Fratres reſcripſerunt, eum dupli vectigalis præſtatione defungi poſſe in *L.* 16. §. 10. *Eod.* ne impunita maneat ignorantia ejus quod omnes ſcire debent, quod ita in utilitatem Publicam ſtatutum eſſe videtur, cum alias in Jure Civ. fraudis interpretatio non ex eventu ſolo, ſed imprimis ex conſilio fraudantis ſumatur *L.* 79. *de R. I. L.* 1. & *ſeq. ff. Quæ in fraud. Cred.*

Quanquam hæc dupli pœna hodie in deſuetudinem abierit, uti de ſua regione teſtatur *Ant. Matth. d. tr. c.* 7 *n.* 21. ubi tamen & diſtinguendum putat inter errorem probabilem & non

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

probabilem, ita ut illo caſu planè abſolvatur Reus, hoc verò, ne quidem dupli oblatione ſe liberare poſſit. Nec tamen probabilis eſt error, allegantis ſe ignoraſſe rem eſſe munificam, facilè enim certior fieri potuit, nec ſupina ignorantia relevat *L. f. §. 5. ff. de publ.* cum ſcire & ſcire debere ſint paria *L. 19. ff. de R. I. Gail. de pace publ. c. 1. n. 11.* niſi vectigal ſit novum, aut allegans forenſis, quo caſu Commiſſi pœnam remittendam eſſe, probat *Gail. 2. obſ. 48. n. 27. & ſeq.* & ſimiliter haud ita dudum in cauſa ſtudioſi cujuſdam peregrini, tobacum quem ſecum aſportabat, non profitentis, contra publicanos in hac Provincia judicatum memini. Quod ſi autem profeſſus quis fuerit merces, ſed vectigal non ſolverit, concedente publicano, Commiſſo tamen locus non erit, imputare enim ſibi debet publicanus, quod vectigal non exegerit *L. ult. §. 10. 12. de publ. Wiſſenb. Ib. n. 25.* & fiſcus ſat cautionis habet in bonis publicanorum aut fidejuſſorum, adeò ut nec hoc caſu duplum vectigalis exigi poſſe videatur *arg. d. l. ult. §. 1. junct. §. 12.* uti vult *Bart. ad l. Commiſſa ff. de publ. & Peregr. d. I. Fiſc. lib. 6. Tit. 5. n. 35. in f.* At verò ſi peregrinus profeſſus fuerit merces, & poſtea ſe ſubduxerit animo non ſolvendi, commiſſo locus erit, quoniam, uti proteſtatio facto contraria, nihil operatur, ita & profeſſio, quam ſequitur fuga, nihil profitentem juvare poterit, cùm hæc illi ſit contraria.

V. Illud palàm eſt, ſi diverſa ſint celantium, & non celantium conſilia, omnes eâdem pœnâ non teneri, quanquam aliàs ex ratione Jur. Civ. licitum propter illicitum, cadat in Commiſſum, ſecundum ea, quæ cap. *præced. θ. 15. ex L. 11. ff. de Publ.* ſunt diſputata, ita ſi unus merces ſuas munes profeſſus non ſit, ipſius tantùm res in Commiſſum cadunt, non cæterorum, qui fraudis non fuêre participes, unde nec culpa unius heredis nocebit reliquis, ſi fortè tota hereditas vectigal debeat, & unus profeſſionem celaverit *l. 8. §. 1. d. t.* Similiter & res communis tantùm pro parte committitur, modò alter ſociorum fraudis non fuerit conſcius *Klock. de Jure Vectig. n. 90. Bertach. de Gabell. in 9. princ. n. 34.* neque enim ſocius ex ſocii delicto obligari poteſt, cùm ita maleficiorum ſocietas contraheretur, quam LL. damnant *l. 52. §. ult. l. 59. §. 1. ff. Pro ſoc.* Hac occaſione notandum, quòd, ſi navis duorum Dominorum reficienda, ab alterutro communi nomine refecta ſit, & ſocius ultra 4 menſium ſpatium partem impenſarum reſtituere ceſſaverit, Dominium navis pro parte com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

mittatur, & reficienti ex Oratione Divi Marci in ſolidum adjudicetur, per *l.52. ff. Proſoc.l.4. C. de Ædif. Priv. Strach. in tr. de Nav. p.2. n.* 8. Similiter & factum ſervorum Domino ignoranti nocere non debet *l.* 16. §. 11. *de Publ.* niſi rebus illis in quibus fraudem admiſerunt, ſunt præpoſiti, quòd negligentis aut malitioſi ſervi operâ uſus ſit *l.* 60. §. 7. *ff. locat. l. un.* §. *p. ff. Furti adverſ. naut. caup.* Non levis tamen eſt dubitatio inter DD. an, ſi nauta, mulio, vel auriga, vectigal celaverint, horum factum Domino nocere, & ita res vel merces propterea in Commiſſum cadere poſſint? *Affirm.* hanc Quæſt. *Klock. d. tr. concl.* 89. *lit.* B. adductâ eam in partem *l.* 60. §. 8. *loc. junct. l.* 23. *de Min. l.* 10. *C. de Proc. l. f.* §. 4. *Naut. caup. ſtab.* Sed his nihil obſtſt. puto amplectendam eſſe negantium ſententiam, tanquam æquiorem & communiorem, quam etiam tenent *Bocer. de Regal. c. 2. n.* 211. *Afflict. de Vectig. n.* 97. aliique ſc: quòd res Domini, quarum nomine nauta, auriga aut mulio, vectigal non ſolvit, in Commiſſum non cadant, ſed tantùm ejus v.g. equi, navis &c. arg. *l.* 8. §. 1. *l.* 11. §. 2. *& l. f.* §. 2. *ff. de Publ.* Quandoquidem alterius dolus, alteri nocere non debet, ſed peccata ſuos tenere auctores, nec ulterius progredi debet metus, quàm reperiatur delictum *l.* 22. *C. de Pœn.* Quanquam & hoc caſu, ſi jus Civile ſpectes, Dominum ad dupli vectigalis præſtationem teneri, verius ſit, ob concurrentem ipſius culpam. *l.* 16. §. 10. *ff. d. t.* cùm ſibi imputare debeat, quòd tam negligentis aurigæ operâ uſus fuerit vid. *d. l.* 60. §. 7. *Locat. Mæv. art.* 6. *Tit.* 3. *lib.* 2. *n.* 31. *& ſeqq. Statut. Lub.* Ubi tractat, an & quando ob nautæ vel Magiſtri navis culpam Dominus vel exercitor teneatur *Add. Marq. de J. Merc. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 19. *& ſeqq.* Præterea & Servus Commiſſi capax eſt, ſive ille ſit mancipium venale aut uſuale, modò novitium ſit, i.e. quod annum continuum in Urbe non ſervierit *l.* 1. *C. l.* 16. §. 1. 2. 3. *ff. de Vectig.* Non tamen vendi fiſco ſervus poteſt, ſi aut rationem Domini geſſit, aut uxorem corrupit, aut aliud quid gravius commiſit *d. l.* 16. *in pr. &* §. 1.

VI. Contra (Præter ea, quæ per modum exceptionis *§.* præced. tradita ſunt) in Commiſſum non cadunt (1) Res peculiares mancipiorum, iis Commiſſis *l.* 16. §. 2. *d. t.* quoniam id tantùm in Commiſſum cadit, quod proprio nomine venit, add. *l.* 3. *de Evict. l.* 29. *de C. E. V. l.* 1. §. 1. *de Pign. & Hypoth. l.* 16. *de Pecul. l.* 24. *de Pecul. leg.* (2) Mancipia veterana, quæ annum continuum

tinuum

tinuum in Urbe ſervierunt *l.* 16. §. 3. *ff. de Vectig. l. ult.* §. *ult. de Ædil. Ed.* (3) Servi Fugitivi, ne illi fugiendo Dominium hero ſuo intervertere poſſint *l.* 16. §. 4. *de Vectig. l.* 9. *ibi: quia nec Domino auferre ſe poteſt de Serv. Export.* (4) Si poſt commiſſum Publicanus recepit vectigal aut admiſit profeſſionem, tum enim videtur remiſiſſe commiſſum *l.* 7. *ff. de Lege Comm. Peregr. de Iure Fiſc. lib.* 6. *Tit.* 5. *n.* 35. *Roſenth de feud. cap.* 5. *concl* 40. *n.* 3. quod tamen de moribus Belgarum, negat *Matth. de Auct. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 35. quibus Publicano cum fraudatore paciſci non licet, ſed ſalva eſt nihilominus Procuratori Fiſci, ſua in fraudatorem actio (5) Si illicitè vectigal fuerit exactum *l.* 9. §. 5. *de Vectig. l.* 3. *C. Vectig. nov. inſtit. non poſſ. unde Bart. in l. Vectigalia ff. de Publ.* dicit; fraudantem ejuſmodi vectigalia, neque coram Deo, neque hominibus peccare, cùm hujuſmodi vectigalia ſint ipſo Jure prohibita, & ſic nulla. Imò illicitè vectigal exigens injuriam paſſis, quod ſolutum eſt, cum altero tanto reſtituere debet *d. l.* 9. §. 5. *Mynſ. cent. V. obſ.* 29. *n.* 4. Vid. tamen *Auton. Matth. d. l. n.* 24. (6) Ceſſat Commiſſum in onere expoſito levandæ navis, aut alius urgentis neceſſitatis cauſâ *l.* 15. *& l.* 16. §. 8. *d. t.* ut & in rebus vi ventorum in Portum delatis *Peck in l.* 5. *ff. de Incend. Ruin. Naufr. n.* 2. quod variè extendunt DD. veluti ad metum peſtis, latronum, aut piratarum *Hahn. ad Weſ. Tit. de Publ. n.* 4. *Carpz.* 2. *c.* 27. *d.* 3. *n.* 7. Quanquam & hoc caſu quarundam gentium inſtitutis, certa pecuniæ ſumma, pro libera ſtatione præſtari ſoleat, quam vocant *Pecuniam Anchorariam. Loccen. de Iure Mar. lib.* 1. *c.* 8. §. 8. 9. (7) Non cadunt in Commiſſum res naufragio deperditæ, cùm inhumanum eſſet, in alienâ calamitate de rebus luctuoſis emolumentum quærere, conf. *Bodin de Rep. lib.* 1. *c.* 10. Unde merito conſuetudines illæ, corruptelæ potius barbaræ, ut naufragorum bona in Commiſſum cadant, Dominoque territorii addicantur, ipſo etiam nautâ in periculum capitis tracto, damnantur & annullantur per Conſt. Friderici in *Auth. Navigia C. de Furt.* Bonorum publicatione inſuper in contravenientes ſtatuta; Idem repetiit Carolus V. Imp. in Nemeſi ſuâ *art. pen.* Et Pontifex quoque ſub pœnâ excommunicationis, ablata reddere jubet in *cap.* 10. *X. de Rapt.* Et in Camerâ Imperiali mandata ſine clauſulâ contra talem Barbarum morem decerni, teſtatur *Gail. lib.* 1. *obſ.* 18. *n.* 6. quandoquidem Conſuetudines directè rationi naturali & Legi Civili contrariæ, introduci ne-

nequeunt. C. *mala conſuetudo diſt.* 8. *l.* 39. *ff. de LL.* Bene Euripides in Helena: *Sum naufragus, ſpoliare quod genus eſt nefas* *Add. Marqu. de Iure Merc. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 8. *& ſeqq.* (8) Denique ceſſat Commiſſi quæſtio, ſi res quæ Commiſſa dicitur, non exſtat, nec dolo malo ſuppreſſa eſt *l.* 2. *C. de Vectig.* quod tamen moribus Belgarum fallere dicit *Matth. d. l. n.* 34. quibus æſtimatio debetur etſi res perierit.

VII. Hactenus de rebus, quæ in Commiſſum cadere poſſunt, Perſonas quod attinet, omnes Commiſſi ſunt capaces, qui ad Vectigalium ſolutionem tenentur, cùm autem ad ea unuſquiſque teneatur, niſi qui ſpecialiter excipitur, *L.* 6. *&* 7. *C. de Vectig.* Idem etiam de pœna commiſſi dicendum erit; cum hac tamen differentiâ, quod, qui immunes ſunt à Vectigalibus, nihilominus res ſuas profiteri, & immunitatem allegare debeant, cum aliàs ad commiſſi vel ſaltem dulpli vectigalis pœnam ſufficiat omiſſa profeſſio, ut ſuprà ex *l.* 1. *ff. de Publ.* probatum eſt. Caveant inſuper hujuſmodi perſonæ immunes à Vectigalibus, ne privilegio ſuo abutantur, & ſcienter rebus ſuis, res aliorum munificas adjiciant, tum enim licita cum illicitis in Commiſſum cadunt per tex. expreſſum in *l.* 11. §. 2. *d. t. & l.* 3. *C. de Naut. Fœn.* Quinam vero à vectigalibus ſint immunes Vid. apud. *Ant. Matth. d. l. n.* 36. *& ſeqq.*

VIII. Sed & in ſpecie Commiſſi pœna remittitur 1. Militibus *l.* 3. *C. de Vectigal.* quod vix eſt, ut hodie in Præſidiariis militibus obtineat; ſanè in expeditione degentes tam ipſi milites, quàm ſpectatores immune vinum bibunt, nec Publicanum metuunt. Quòd ſi tamen miles, negotietur extra ſpecies annonarias, immunitate hac non gaudebit arg. *L. un. C. quand. mil. for. præſcript. uti non poſſ.* (2.) Indulget Lex Pupillis, modò vectigal intra 30 diem ſolvatur *l.* 7. §. *f. ff. de Publ.* poſt quam conſtitutionem, nemo dixerit Pupillo neceſſariam eſſe reſtitutionem in integrum, cùm ei pœna ab Impp. remittatur; quod ſi tamen culpâ aut dolo Tutoris vectigal non fuerit ſolurum, ipſæ quidem Res Pupilli in Commiſſum cadunt, damnum verò hoc ex ſubſtantiâ Tutoris reſarciri neceſſe eſt *l.* 23. *C. de Adm. Tut.*.

IX. An vero Puberibus etiam, minoribus tamen 25. ann. ſuccurrendum ſit, dubitari poſſet, quandoquidem in Criminalibus ceſſat reſtitutio *l.* 9. §. 2. *ff. de Min.* & commiſſum crimen dicitur in *l.* 8. *&* 14. *ff. de Publ.* Nihilominus auxilium ætatis ſolet inducere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

cere pœnæ mitigationem *l.* 37. *ff. de Min.* & expreſsè commiſſi reſtitutio conceditur minori in *l.* 9. §. *p. Eod.* cum ea tamen diſtinctione, quam ſuprà adduxi *th.* 1. *h. c.* ſi ſc: dolus non intervenerit, ſed culpa tantùm. Commiſſum enim ſine culpâ vix poteſt contrahi; crimen eſt dolo interveniente, non etiam ſi culpa tantùm probetur *Ant. Matth. de tr.* 2. *c.* 7. *n.* 30. *Fab. Ration. Tit. de Min.* §. *Si in Commiſſum.* Quod ſi tamen minor Paterfamiliâs, aut Mercator ſit, & Commiſſi reſtitutionem petāt, vix eſt, ut hodie audiatur, obſervante Mornacio ad *l.* 9. §. *p. ff. de Minor.* niſi error aut culpa ſit valde probabilis, quo caſu & majori adverſus Publicanos ſuccurri, certum eſt, *vid. ſuprà th.* 4.

X. Præterea fœminas à Commiſſi pœna comm. excipiunt DD. *C. J. A. Tit. de Publ.* §. 18. ut & Ruſticos *Menoch.* 2. *Arbitr. Iudic.* 194. *n.* 70. quòd in iis error potiùs, quàm Jus præſumatur *Caſtrenſ. Conſ.* 412. *n.* 3. *lib.* 2. Sed præterquam quod fœminæ

Malorum omnium natæ ſint artifices
Calidiſſimæ.

& impoſturis impar non ſit, ruſticorum genus, nullibi in Legibus à Pœnâ commiſſi has perſonas excipi videmus.

XI. Horum autem Commiſſorum nomine, fiſco, aut qui Jus Fiſci habet, Publicano, competit Rei Vindicatio *l.* 11. §. 4. *ff. de Vectig. Bocer. de Regal. c.* 2. *n.* 214. non ſolùm adverſus fraudantem, (quem & ſecundum DD. ſententiam, carceri mancipare ipſiuſque merces arreſto detinere poteſt *Bald. conſ.* 328. *n.* 2. *vol.* 2. *Coler. de Proceſſ. Execut. l.* 3. *c.* 3. *n.* 35. *& ſeq.*) ſed & adverſus heredes ejus ac quosvis Poſſeſſores alios *l.* 8. *in pr. l.* 14. *ff. Eod.* quoniam enim rerum Commiſſarum Dominium ſtatim in fiſcum tranſit *d. l.* 14. heres ſeu quivis alius poſſeſſor, non convenitur ex fraude aut delicto defuncti; ſed agitur ad avocandam rem, cujus ipſe Dominus nunquam fuit. Præterea, uti in vectigalibus prœdia, non perſonæ conveniuntur *l.* 7. *in pr. d. t.* ita & rerum Commiſſarum Perſecutio adverſus Poſſeſſores inſtituitur; Unde ſequitur, heredem fraudantis non ſemper & regulariter conveniri, ſed tum demum, quando posſidet. Ipſum verò Crimen fraudati Vectigalis & pœna, non tranſit ad heredes *L. ult.* §. *p. d. t. junct. l.* 8. *in pr. Eod.* niſi lis fuerit vivo reo conteſtata, aut aliquid ad heredem fraudantis pervenerit *d. l. f. & l.* 4. *pr. Eod. Manz. Deciſ. Palat. q.* 75. *Brun. ad l.* 9. *n.* 6. *& ad l.* 14. *ff. de Publ.*

XII. Un-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

XII. Unde intelligere licet, præter commiſſum fuiſſe & olim pœnas quaſdam pecuniarias, quibus fraudatores Vectigalium plecterentur, quod & ita Belgarum Edictis cautum eſſe refert *ſæp. cit. Ant. Matth. lib. 2. c. 6. n. 24.* Et de Germaniæ moribus teſtatur *Carpz. 4. c. 41. def. 15.* fraudatores vectigalium arbitrariâ pœna puniri, & bona eorum uſque dum ſoluta pœna, detineri. Datur igitur hæc Actio ad id, ut res, cujus Dominium ob fraudatum vectigal fiſco acquiſitum eſt, ab alio tamen adhuc detinetur, ad fiſcum deferatur *l. 14. ff. h.* aut, ſi non amplius exſtet & dolo ſuppreſſa ſit intra quinquennium, pretium ejus præſtetur *l. 2. C. de Vectig.* Præterea etiam ad pœnam dupli aut tripli conſequendam. *l. 9. §. 5. l. ult. §. 10. ff. de Publ.* agens tamen titulum probare debet, i. e. ſe fiſcum, Dominum, vel Publicanum eſſe, nec ſufficit probâſſe quaſi poſſesſionem exigendi Vectigalis *Menoch. Conſ. 6. 12. n. 8.* inſuper & fraudem eſſe commiſſam *arg. l. 4. C. de Edend.* cùm commisſi pœna dolum & fraudem præſupponat.

XIII. *Præſcribitur* hæc Actio quinquennio *l. 2. C. Vectig.* perinde uti querela Inoffic. Teſtamenti *l. f. C. de Inoffic. Teſt.* Moribus Belgarum anno continuo ex die admisſi computando *Matth. d. l. 2. c. 6. n. 25.* Perpetuatur tamen illa, ſi lite res fuerit anticipata, *d. l. 2. & l. f. C. de Præſcript. 30. ann.* aut reus dolo rem poſſidere deſierit *Bocer. de Regal. c. 2. n. 215.* id quod de latâ culpâ rectè etiam dicitur. *Bertachin. de Gabell. 9. Princ. n. 9.* utpote quæ dolo comparatur *l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 1. §. 32. Depoſ.* An verò Princeps vel alius quiſque Vectigalium locator, aggratiando eum, qui vectigal fraudavit, posſit hanc Publicani actionem extinguere, & facere, ut ipſa commisſi Actio in ejus præjudicium committatur, quæri hoc loco poſſet? Et dicendum videtur Dominum vectigalis locando quidem poteſtatem remittendi non amittere, ſed tamen eam in præjudicium Conductoris exercere non poſſe. Igitur reſtituere poterit Princeps reum Patriæ ac bonis, ſi fortè in exilium fuerit miſſus, ſed tamen refundat oportet, publicanis ſuum intereſſe, & Jus quæſitum, quod in bonis fraudantis ipſis eſt acquiſitum. Certum enim eſt, quòd Dominus neque Fructuarii, neque Conductoris cauſam posſit facere deteriorem *l. 15. §. ult. & l. ſeq. ff. de Uſufr. l. 15. §. 1. l. 24. §. 4. Locat. Ant. Matth. de Auct. lib. 2. cap. 5. n. 2.* Et hæc de Commisſis in Vectigalibus pro inſtituti ratione ſufficiant.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

CAP. IV.

De Commiſſis in Emphyteuſi ac Feudis.

I. Reſtat, ut paucis videamus, quomodo & quas ob cauſas Emphyteuſis ac feuda dicantur committi. Illud autem fit, quot. vel ob non ſolutum canonem & non præſtitas apochas publicarum functionum *l. 2. C. de Jure Emph.* vel ob factam alienationem abſque conſenſu Domini *l. f. C. Eod.* vel denique ob commiſſam feloniam 2. F. 26. Emphyteuta vel Vaſallus Jure ſuo cadit, utileque Dominium, cum directo conſolidatur.

II. Ita autem de Canone lex ſcripta eſt, ut ſi intra triennium in ſeculari, aut intra biennium in Eccleſiaſtica Emphyteuſi, Emphyteuta eum non ſolvat, *Jure ſuo cadat. d. l. 2. Nov. 7. c. 3. Auth. qui rem C. de SS. Eccleſ. Nov.* 120. *c.* 8. nec aliud infert Jus Commiſſi; nihilominus certum eſt, Dominum mentem ſuam de expellendo Emphyteuta, debere declarare verb. *ſi eum expellere voluerit*, quod tamen effectum Commiſſi non impedit, cùm in omni nullitatis querela, ubi de facto diſceptatur, ſententia declaratoria requiratur, ſecundum ea quæ cap. præced. ex *Gailio* probavi. *Add. l.* 31. *ibi: Iure ſuo Dominus eſſet, ff. de Pignor. Clar. §. Emphyteuſis q.* 9. Igitur nec poterit ceſſantem propriâ autoritate expellere Dominus *arg. l. 76. ff. de R. J.* ſed ordinarium Proceſſum admittere debet, vel coràm ſe, ſi ipſe Jurisdictionem habeat, vel coràm alio, ſi privatus ſit, Judice competente *Hahn. ad Weſemb. Tit. ſi ag. Vectig. n.* 3. *Berlich. P.* 2. *Concl.* 46. quandoquidem ſingulis non eſt concedendum, quod tumultus occaſionem præbere poteſt. *d. l.* 76

III. Eadem quoque Commisſi pœna conſtituta eſt, ſi fiſcales apochæ non fuerint exhibitæ, ſeu ut loquitur Tribonianus pro tumore eloquentiæ ſuæ, *ſi apochæ publicarum functionum* Germ: *die Steürzettul oder Quitung Coler deciſ.* 33. non fuerint præſtitæ *d. l.* 2. cùm aliàs Dominus metuere neceſſum habeat, ne ipſe, vel ejus ſucceſſor, reversâ aliquando, vel extinctâ Emphyteuſi, ratione præteriti temporis conveniatur *L. Impp. 7. ff. de Public. l. 5. de Cenſ.* An verò & huic ceſſationi triennium eſt præſcriptum, ut poſt tantum tempus Commiſſo locus ſit? Non videtur, cùm odioſa non

ſint extendenda, nec legis ſanctio eouſque ampliari posſit. Dic potiùs cum *Amplisſ. Hubero ad Tit. ff. Si ager Vectig.* committi hoc modo Emphyteuſin, ſi ipſe Fiſcus prædium aggrediatur, vel ſi ſæpiùs admonitus Emphyteuta, in ſolvendo nimiùm procax fuerit.

IV. Per id verò quod dixi, voluntatem Domini requiri, ut Emphyteuta Jure ſuo cadat, non planè tollitur ſanctio Legis, quæ omiſſæ intra triennium ſolvendi canonis præſtationi, impoſuit Commisſi pœnam. Hæc enim voluntatis declaratio tantùm eſt cauſa ſine quâ non, & facit ſolummodo, ut Actio Revocatoria non tranſeat ad heredes, niſi defunctus hoc voluerit, & mentem ſuam declaraverit *arg. l. 7. C. de revoc. Donat. Carpz. p. 2. C.* 38. *d. 9.* cùm & aliàs Injuriarum Actio heredibus non detur, nec negari posſit Dominum utilem, Directo, canonem non ſolvendo, inſtar injuriæ facere. Nullitatis verò plures non temnendi ſunt effectus, quandoquidem Emphyteuta vi legis adeò Jure ſuo cadit, ut triennio elapſo moram nullo modo purgare posſit *d. l. 2. verb. omnimodò repellendo. l. 2. C. de Fund. Patrim.* Moræ enim purgatio non admittitur, ubi dies & pœna obligationi adjicitur *l. 23. ff. de O. & A. l. 12. C. de Committ. Stip. l. 23. ff. de Recept.* (quod tamen de Jure Canon. ſecus eſt, per *Cap. Potuit. 4. X. Locat.* quod quidam DD. ad Eccleſiaſticam Emphyteuſin reſtringunt, quoniam in illa brevius ſolutioni tempus conſtitutum eſt) unde ſequitur, quòd nec Creditores offerendo reliqua, ſemel commiſſæ Emphyteuſis conſolidationem impedire posſint, uti hoc probat contra Fabrum *Ant. Matth. de Auct. lib. 1. c. 11. n. 20.* (quod ſecus tamen eſt in feudo, ſi illud propter feloniam committatur, quo caſu Creditores ante ſententiam de commiſſo ferendam, debito conſignato impedire conſolidationem poterunt, quia feudum per Feloniam. Ipſo Jure non committitur.) Ex eadem ratione dicendum, etſi Dominus penſionem aut Canonem receperit, ſine proteſtatione, quod propterea caducitatem non videatur remiſiſſe, cùm, quod ipſo Jure commiſſum eſt, ex poſt facto ſine valida cauſa reſtitui nequeat. *Amplisſ. Huber. d. l. n. 11.* & quanquam communis ferè DD. opinio heic ſit in contrarium, tamen & ratio Juris, & expreſſus tx. in *Nov. 120. c. 8.* noſtram ſententiam apertisſimè probant; quò pertinet etiam quod tenet Gloſſa in *d. l. 2. C. verb. repellere* ut, ſi ab initio contractus, Dominus pœnam ſtipulatus ſit, ſi juſto tempore canon non ſolveretur, nihilominus Emphytuta posſit

poſſit expelli, quod tamen ita intellige, ut pœna & commiſſum ſimul exigi non poſſint, niſi hoc expreſsè actum ſit *arg. l.* 28. *&* 47. *ff. de Act. Empt.*

V. An vero totum Jus Emphytentæ committitur, ſi partem Canonis non ſolverit? Totam committi tenet Berlich. *P.* 2. *Concl.* 46. *n.* 18. Contra *Carpz. p.* 4. *Conſt.* 38. *Def.* 4. integris tribus annis, canonem non eſſe ſolutum requirit, ad hoc, ut de caducitate agi queat. Pro illo ſtat arg. *l.* 78. §. 2. *ff. de Contr. Empt. junct. l.* 6. *C. de Diſtr. Pign.* Quòd conditio, ſi penſionem non ſolverit, ſit individua, & negativa, cui non ſatisfacit qui partem ſolvit *l.* 56. *ff. de Cond. & Dem.* pro hoc militat arg. *l.* 2. *C. de Jure Emph.* Ubi requiritur ut per totum triennium Emphyteuta Canonem non præſtiterit, ſi expellere eum velit Domiuus. E. reſiduum unius anni, aut ſolutio partis impediet commiſſum. Sed tamen in puncto Juris verior mihi videtur Berlichi ſententia, juxta quam etiam duo reſponſa refert *Habn. d. l. Vid. tamen l.* 21. *ff. de Reb. Cr.* His conſequens eſt, quòd uno ex pluribus heredibus non ſolvente, tota Emphyteuſis committatur *Gl. in l.* 76. *verb. Confundere Comm. Div. Jaſon in l.* 2. *n.* 58. *C. de Jure Emph. Perez. add. t. n.* 20. Etſi heres rem Emphytenticam eſſe ignoret *Treut. p.* 1. *d.* 29. *th.* 13. *lit. b.* Quam tamen opinionem ſummi Juris eſſe dicit Mynſing. 3. *obſ.* 66. cui æquitas repugnat nec propterea ſequendam. Quanquam & Prætor ex juſtâ ignorantiæ cauſa, opem ignorantibus ferre poſſit *l.* 2. *ff. de Reſtit. in int. de. l.* 9. §. 5. de *Minor.* 2. *Feud.* 55 *verſ. Præterea. Guid. Pap. deciſ.* 435.

VI. Præterea committur Emphyteuſis rei alienatione abſque conſenſu Domini factâ *l. f. C. de Jure Emph.* non tamen ob quamvis alienationem, ſed eam demum *venditione* quam denunciatio Domino facta non præceſſit, ſic ut vectigales agri impunè poſſint legari, donari, permutari, pignorari, in ſolutum & dotem dari *arg.* 2. *F.* 13. *l.* 5. *C. de Jur. Dot l.* 16. §. *f. l.* 17. *l.* 31. *de Pign. Act. l.* 71. §. *p. & ult. de Leg.* 1. *l.* 28. *de V. S.* quod ſecus eſt in feudo, 2. *Feud.* 52. *&* 55. ubi alienationis verbum latiſſimè accipitur, ut prædicta omnia comprehendat & omnem actum ſignificet per quem Dominium transfertur. Cur autem magis prohibita ſit venditio, quàm alia quævis alienatio, ratio eſt, quia per cæteras alienationum ſpecies, non præjudicari poteſt duobus illis privilegiis, quæ habet Dominus, προτιμήσεως nempe & Juris petendi laudemium, quibus privilegiis, non niſi in Emtione Venditione locum eſſe manife-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

ſtum eſt. *Ampl. Hub. cit. l. n.* 12. Quanquam & venditio poſſit eſſe innocua, ſi ob ſummam paupertatem & extremam neceſſitatem fiat, arg. cap. *Si propter neceſſitatem* X. *de Furt.* perinde ut in feudo, juxta tradita *Mynſing.* 6. *obſ.* 30. 2. *Feud.* 9.

VII. De dote tamen Qu: an Pater in dotem dare poſſit Emphytenſin ſuam genero. Non videtur illud poſſe fieri ſine conſenſu Domini, quandoquidem Dos tranſit in Dominium filiæ *l.* 75. & *l.* 30. *C. de Iure Dot.* Quod lim: ſi in filiam non poſſit tranſire Emphytenſis, ſed ſi ea ſit capax omninò in dotem dari poteſt. *Barboſa in l. Uſumfructum ff. ſolut. matrim. n.* 25.

VIII. Quod ſi tamen Emphyteuta maturè Domino venditionem denunciet, ipſique præ aliis intra duos menſes emendi copiam faciat *l.* 3. *C. de Iure Emph.* etiam invitiſſimo Domino, Emphytenſin vendere poterit, quâ tamen venditione num heredibus ſuis præjudicare poſſit, quæri ſolet? Dico Ego Emphytenſin ſua natura ad omnes heredes pertinere, dependet enim ex locatione Cond. §. 3. *I. Locat.* Niſi pro certis heredibus ſit conſtituta, quo caſu illi habent Jus quæſitum ex Pacto, quod ipſis invitis auferri nequit, & ita obtinet in Feudis 2. *Feud.* 45. lim: tamen prius, niſi illi in quorum præjudicium alienatur ſint heredes, qui factum defuncti impugnare nequeunt.

IX. Ulteriùs Emphyteuſis dicitur committi, ſi Emphyteuta dolo aut latâ culpâ eam deteriorem reddat *Auth. qui rem. C. de SS. Eccl. Nov.* 120. *cap.* 8. quippe quo nihil magis Officio Emphyteutæ, ac hujus inſtituti, quod ad meliorationem ſpectat, ſcopo, contrarium eſſe poteſt *Ampl. Huber. d. l. n.* 12. *Carpz. P.* 2. *c.* 38. *d.* 23. Ita tamen, ut non ſufficiat culpa leviſſima, eſt enim hic Contractus ſimilis locationi, unde ad Majorem quàm levem culpam Emphyteuta non obligatur *l.* 5. §. 1. *Commod. l.* 23. *de R. I.* Quòd ſi partem tantùm deteriorem reddiderit, benignior ſententia eſt, eum pro parte tantùm privari, quanquam in puncto Juris tota Emphyteuſis commiſſa videatur, juxta ea quæ ſupra §. 4. diſſervi.

X. Denique, diſputari ſolet inter DD; an Emphyteuta Dominium directum, Dominus verò plenum ſibi invicem lapſu 30 ann. præſcribere poſſint? Et certum quidem eſt, Jus Emphyteuticum 30 ann. poſſe præſcribi, quandoquidem omne Jus quod per Contractum transferri poteſt, illud etiam per præſcriptionem acquiritur, quia in præſcriptione videtur alienare Jus ſuum qui pati-

patitur uſucapi *l.* 7. *C. de Præſcr.* 30. *ann.* Uti E. Emphyteuſis per Contractum, ſic etiam per præſcriptionem acquiri poteſt; quo ſenſu & Jus Vaſalli acquiritur, ſi quis rem aliquam tanto temporis ſpatio poſſederit, Dominoque ſervitia præſtiterit 2. *F.* 26. *Mynſ.* 4. *Obſ.* 29. computato tempore à die, quo ſervitia exhibuit. *Ronſenth. de Feud. c.* 6. *concl.* 77. *n.* 2. Simili modo ob rationis paritatem Dominus directus utile Dominium præſcribere poterit. An idem dicendum erit, ſi Canone intra 30. ann. non ſoluto Emphytheuta dominium directum præſcribere velit? Diſting. puto; aut Emphyteuta tenuit rem nomine Emphyteutæ aut pro ſuo, illo caſu nunquam præſcribere poteſt, cum non adſit juſtus præſcribendi titulus *l.* 7. §. 3. *C. de Præſcript.* 30. *ann.* nec ſecundum Jus Can. b. f. adſit *C. f.* x. *de Præſcript.* quanquam & illa lapſu tanti temporis poſſit dici præſumi, unde malam fidem alleganti probatio incumberet *Struv. de feud. cap.* 8. *th.* 12. *n.* 3. Hoc verò caſu nihil video obſtare, cur directum Dominium acquirere non poſſit Emphyteuta, ſi ſc. intervertat cauſam poſſidendi, & Titulum alleget, de canone non ſoluto interpellatus, in quo Dominus per dictum tempus acquieſcat *Hahn. d. l. in t.* Et hæc ſententia probatur per *L. f. C. de long. temq. præſcr. L.* 3. *&* 4. *C. de Præſcript.* 30. *ann. Cpz. P.* 2. *C.* 3. *d.* 17. Cœterum libertas à ſolutione canonis 30. ann. non præſcribitur manente adhuc Emphyteuſi, quia Canon eſt de ſubſtantia Emphytheuſeos nec contraria eſt *l.* 7. §. *f. C. de Præſcr.* 30. ann. loquitur enim de annuis reditibus *Hahn. d. l.*

XI. Ultimo loco Qu. an hiſce modis commiſſâ Emphyteuſi expenſas & meliorationes Euphyteuta repetere nequeat? Certè ſi abſque culpâ ipſius Emphyteuſis finita ſit, præſtandas ipſi eſſe meliorationes, vult ratio, & *arg. l.* 2. *C. de Jur. Emph.* Sed id ad Commiſſum non pertinet, quippe quod ſine culpâ non intelligitur. Igitur dictis modis commiſſâ Emphyteuſi veluti ſolutione Canonis debito tempore non factâ, venditâ re abſque conſenſu Domini, aut deterioratione Rei Emphyteuticariæ inſigni, fundus ad Dominum redit, ita ut nulla in poſterum meliorationis nomine, poſſit opponi allegatio *d. L.* 2. *& Nov.* 120. *c.* 8. cum ennim culpâ Emphyteutæ finita ſit emphyteuſis, meritò pœnam hanc luet, ut amittat meliorationes, quas fecit & tenebatur facere ex naturâ Contractus *Perez. ad Tit. C. de Jur. Emph. n.* 20. & ideo exiguus Canon ſolvitur, ut meliorationes periculo Emphyteutæ fiant *Barboſ. ad L.* 8. §. *f. n.* 69. *ff. ſolut. matrim.* Dubitari tamen poſſet, anne illas tantum impenſas repetere liceat, quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

ultra negotii naturam &Contractus legem fecit. Non videtur, quandoquidem d. textus. indiſtinctè loquuntur. Vulgò tamen ex æquo & bono receptum eſt, ut meliorationes quas ſupra Legem Contractus fecit, ei concedantur, quò facit *tex. in* 2. *Feud.* 28. §. *ſi Vaſallus l.* 8. *ff. de Pign. Act. L. p. in f. ff. loc.* Sed fuſius hæc perſequi non licet: plura vid. apud Interpp.

XII. Magnam autem affinitatem cum Emphyteuſi habent feuda *Valaſc. de Jure Emph.* 38. Quanquam reſpectu formæ quadantenus differant (1) quòd feudum conſtituatur inveſtiturâ, & conſiſtat in fidelitate 2. F. 3. §. 1. *in f.* Quæ ab eo nunquam ſeparari poteſt, quod ſecus eſt in Emphyteuſi (2) quod Feudum de naturâ ſuâ debeat eſſe gratuitum 2. *F.* 23. *in f.* Emphyteuſis verò pro formâ certam penſionem agnoſcat *L.* 2. *C. de Jur. Emph.* Qua ratione pulchra hoc loco eſſet differendi occaſio, de modis quibus tam committuntur, quàm finiuntur feuda, niſi temporis ratio, & nimia dicendi ubertas illud ἐπέχειν ſuaderet. Igitur ſufficiat mihi, paucis indicâſſe Feuda committi (1) ipſo Jure propter alienationem inconſulto Domino factam, & admiſſum Crimen Majeſtatis, ut Feudiſtæ putant. (2) mediante ſententiâ, quando ob commiſſam feloniam Vaſallus Jure ſuo excidit 1. *Feud.* 21. *&* 22. cujus varias ſpecies vide paſſim apud Interpp. & enumerantur plurimæ in 2. *Feud.* 24.

XIII. Et hactenus quidem ea Commiſſorum genera, quæ talia reſpectu legis dici poſſunt, quantum novi, enumeravi omnia, niſi fortè & huc referenda ſint Commiſſa ſecundarum Nuptiarum, quibus bona, quæ Parentes ſub finem prioris matrimonii habuere, poſt tranſitum ad ſecunda vota primi Conjugii liberis acquiruntur uſufructu duntaxat à Parentibus retento, qui mortuis illis, cum proprietate conſolidatur *L.* 2. 3. 5. *C. de ſecund. Nupt.* Quæ abuſivè pœnæ ſecundarum Nuptiarum dici ſolent. Sed cum de iis varii varia ſcripſerint & integri extent tractatus, ego lubens hæc prætereo. Reſtabat igitur, ut ſecundum propoſitam in cap. 1. h. Diſſ. diviſionem, eorum quoque Commiſſorum Jura tractarem, quæ ex Contractu oriuntur: ſed quandoquidem, niminum excrevêre hæ paginæ, ne in tractatum degeneret Diſſertatio Academica, filum heic abrumpere cogor, eaque, quæ de hiſce Commiſſis diſſerere jam animo conceperam, in aliam occaſionem, quam fata dabunt, reſervare.

Heic igitur noſtram teneat jacta anchora puppim
Sitque honor æterno, qui regit aſtra, Deo.

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

COROLLARIA.

1. *Societatis cuſtodia non eſt Principium Juris Naturalis.*
2. *A notione juſti differt notio Virtutis.*
3. *Teſtamenti factio non eſt Iuris Naturæ.*
4. *Soluto vectigali, Dominus territorii debet damnum à latronibus datum, reſarcire, licet transvehentes expreſſè ſalvum Conductum non impetraverint.*
5. *Metus ſpectrorum eſt legitima cauſa deſerendi rem locatam ante præfinitum tempus.*
6. *Liberi legitimati ſuccedunt in feudis.*

Carmen

HONORIBUS

Nobilisſimi nec non Eruditiſſimi

VIRI JUVENIS

D. NICOLAI MINDEMAN

CUM

In alma Franequerana

Pro ſummis in Utroque Jure Honoribus capeſſendis eruditè admodum diſputaret.

Poſitum

à

LAURENTIO v. d. BUSCH *M. S.*

Conterraneo & Amico.

Viderat alma Themis, Friſiam viſura Minervam,
Palladis electas inter adeſſe greges
Egregium virtute Virum Jurisque peritum;
Illum blandiloqua voce loquuta fuit.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Quid moliris, ait, *Bremanæ* gloria gentis?
 (Huîc etenim fuerat Patria *Brema* Viro.)
An patriæ natalis amor, qui pellicit omnes;
 Immemorem prorſus te ſinit eſſe ſui?
Uſque adeone tuam ceperunt otia mentem?
 Otia Muſarum, cætera quippe fugis.
Jam ſatis indultum ſtudiis Muſisque tot annis,
 Avocat ad patrios Patria, jure lares.
Ingenii poſcit fructus, meſſemque laborum;
 Nam quæcunque tenes, vendicat illa ſibi.
Ergo *ſuum tribuas*, etiam tibi ſolvere conor
 Quæ tua, quæ ſoleo *ferre cuique ſuum.*
Cùm meritis igitur *fert Juſtinianus honores*,
 Jure tibi merito laurea ſerta fero.
Hæc etenim meruit prudentia Juris & æqui,
 Cujus te doctum Friſia teſtis adeſt.
Teſtis adeſt concinna Theſis, quam maſculus audes
 Adverſus dubias ritè probare ſtrophas.
Dixerat: & multo Juvenem mactavit honore,
 Doctorale tegens frontis honore caput.
Credo equidem, nec vana fides mea, MINDE-
MANNUS!
 Fronte gerit laurum, quam Dea juſta dedit.
Gratulor ergo tuæ lætanti pectore ſorti,
 Sint porrò, voveo, proſpera quæque tibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
325 C 280